This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Pamphlets

Berliner Abhandlungen
zur
Klassischen Altertumswissenschaft.

Erster Band.

Erstes Heft.

PALAEPHATEA

scripsit

Johannes Schrader
Dr. phil.

Berlin
Richard Heinrich
1894.

In Erwägung des Umstandes, dass viele wertvolle Special-Untersuchungen aus dem Gebiete der klassischen Philologie bisher nur zum Teil oder gar nicht veröffentlicht werden konnten und damit der Wissenschaft verloren gingen, hat es die unterzeichnete Verlagsbuchhandlung unternommen, solche Arbeiten zu sammeln und dieselben unter dem Titel

Berliner Abhandlungen

zur

Klasssischen Altertumswissenschaft

in zwanglosen Heften herauszugeben.

Diese Sammlung, welche mit dem vorliegenden ersten Hefte in's Leben tritt, soll Zeugnis ablegen von den Fortschritten der klassischen Studien an der Berliner Universität und wird sich deshalb nur aus Beiträgen von Berliner Dozenten und deren Schülern zusammensetzen.

Unvollständige Abhandlungen und solche, welche schon anderweitig veröffentlicht wurden, können in die vorliegende Sammlung nicht aufgenommen werden. Promotionsschriften werden nur dann berücksichtigt werden, wenn dieselben durch die Philosophische Facultät der Berliner Universität als lobenswert ausgezeichnet sind.

In jedem Jahre soll ein Band von ca. 30 Bogen oder 5—6 Heften Umfang erscheinen. Jedes Heft ist einzeln käuflich. Der Verkaufspreis beträgt für Subscribenten auf die ganze Sammlung oder vollständige Bände M. 0.30 pro Bogen, für einzelne Hefte M. 0.40 pro Bogen.

Berlin N.W. 7, im Januar 1894.

Die Verlagsbuchhandlung.

UNIVERSITY OF MICHIGAN LIBRARIES

Herrn Professor Rohde

als Zeichen d. Verehrung

überr. v. Verf.

d. 4. II. 94.

Berliner Abhandlungen
zur
Klassischen Altertumswissenschaft.

Erster Band.

Erstes Heft.

PALAEPHATEA

scripsit

Johannes Schrader

Dr. phil.

Berlin
Richard Heinrich
1894.

PALAEPHATEA

SCRIPSIT

JOHANNES SCHRADER

DR. PHIL.

BEROLINI

RICHARD HEINRICH

1894.

888
P1540
S37
BUHR

HERMANNO DIELS

RENARDO KEKULÉ

SACRUM

Opusculum illud quod inscribitur *Παλαιφάτου περὶ ἀπίστων* quo tempore apud maiores nostros florebat ea theologiae forma, quae a ratione nomen traxit, pueri manibus terebant, ut et elementa linguae Graecae et fabulas recte, ut erat opinio, explicatas discerent. Quem ad finem istum scriptorem magistelli certatim notis ad tironum aut doctorum usum instruebant patriamque in linguam vertebant omnesque paullo eruditiores adeo norant, ut poëta nescioquis Palaephatum in narratiuncula haud illepida[1]) loquentem inducere ausus sit. Post renata autem hoc saeculo antiquitatis studia idem in contemtionem venit atque diu iacuit alto pressus silentio quo sane dignus est. Nam ius certe ac fas est tam inficeta commenta[2]) neglegere — non prius tamen quam diligenter inquisitum sit, quisnam ea condiderit, qui fuerit et quando, ubi vitam degerit et inter quosnam homines. Et nuperrime exstiterunt qui hoc se praestare velle professi sint, Italus alter, Nicolaus Festa, alter homo nostras Fridericus Wipprechtius[3]). Atque ille ne certi quicquam efficeret prohibitus est quod non ab ipsis Palaephatei operis reliquiis profectus est sed a Suidae memoria, quae quam lubrica sit iam

[1]) In libro periodico qui inscribitur *Olla Potrida* I, 1780 p. 49—59.

[2]) Miretur aliquis, quod G. Hermannus in dissertatione de Graeca Minerva (opusc. VII p. 277) Pal. ut auctorem sane praeclarum praedicat. Sed enim ipsius explicationem fabulae quae est de Danae suo iure C. O. Muellerus infra Palaephatum esse iudicavit (ib. p. 281,[11]) eodemque vitio laborat illius de Perseo disputatio (ib. p. 281 sq.), qua demonstrat Perseum piratam fuisse Seriphium, qui praeter spem navi magna potitus cives obstupefecerit, Graeas autem fluxus et refluxus, Gorgones *τρικυμίαν* maris esse. Omnino in fabularum explicatione non superavit Heynium (cf. e. g. huius de Niobes fabula annotationem Observ. ad Apollod. p. 238).

[3]) *Intorno all' opusculo di Palefatto de incredibilibus* Firenze-Roma 1890. — *Quaestiones Palaephateae capp. VI.* Diss. inaug. Heidelb. 1892.

dudum inter omnes constat. Et cum ipse Suidas dubitet de scripti parente, Festa corrigit Suidam nullo alio nisus fundamento nisi ratiocinationibus quibusdam, quae nimis vagae sunt quam quibus quicquam possit probari.

Wipprechtius autem quamquam illud vitium vitavit, tamen rem adeo non profligavisse mihi videtur[1]), ut quaestionem redintegrandam esse censeam.

[1]) Quamquam Salomoni Reinachio qui nuper (*Revue critique* h. a. t. XXVII fasc. 15 p. 284) censuram fecit eius dissertationis, plane persuasit.

I.

De fide epitomae quae exstat librorum de incredibilibus.

Operis Palaephatei non nisi epitomam tempus tulisse patefit testimoniis posteriorum scriptorum, qui fabularum explicationes e Palaephato afferunt quae nunc in eo non leguntur[1]). In aliquot vero libris[2]) capita quaedam (f. XLVII—LI) exstant quae a Palaephato prorsus aliena esse vel inde apparet, quod in iis fabulae non explicantur, immo enarrantur inepti more declamatoris. Accedit quod qui laudant Palaephatum nonnullis locis prorsus alia ac nos in eo scripta legisse videntur.

Ex hac igitur epitoma siquis aetatem scriptoris sive res sive verba inquirendo eruere volet, hunc priusquam ad ipsam quaestionem aggrediatur, quantum fidei in illa poni possit demonstrare oportebit. Quod facere Wipprechtius supersedit, etsi Festa quem nos in manibus habemus libellum foede interpolatum esse contenderat (p. 20 sq.).

Quod ille omisit, nos iam praestare conabimur ita, ut primum num fabellae a Palaephato alienae praeter f. XLVII—LI in epitomam irrepserint inquiramus, deinde num quam oratio scriptoris inter excerpendum labem traxerit.

Ac Festae quidem suspicionem haud idoneis niti argumentis facile est probatu. Quorum alterum (p. 16) inde repetit, quod

---

[1]) In hanc rem codicum nonnullorum testimonium afferre non iam licet postquam G. Vitellius codices Palaephati diligenter recensuit certasque in classes disposuit (*I manoscritti di Palefato, Studi italiani di Filologia classica* vol. I p. 241 - 379). Inscriptio enim *ἐκ τῶν τοῦ Παλαιφάτου περὶ τῶν ἱστοριῶν* propria est classis ε codicum (l. l. p. 252—55) qui fabulas continent e quadraginta sex codicum ampliorum excerptas.

[2]) GJV ex codd. Westermanni, cl. A apud Vitellium (l. l. p. 243 sqq.).

duo illa vel tria genera narrandi, quae prima opusculi sui paragrapho (p. 3—9) his in fabulis usu venire exposuit, ad unum eundemque scriptorem omnino non redire possint, proinde ac si Palaephatus ille, quisquis fuit, librum insulsum tali narrationum aequabilitate etiam insulsiorem reddere debuerit. An tu dubitas quin eidem scriptori quas finxerit fabulas modo brevissima narratione paucisque quasi lineis adumbrata significare, modo fusius atque accuratius enarrare licuerit?

Alterum argumentum spectat ad f. XXXV, XXXVI, XXXVII, quae et multo breviores sint reliquis et interpolationis etiam alia signa exhibeant. Velut fabulam XXXVI longe ceteris inficetiorem esse, in c. XXXVII vero quae exstet sententia: *σιδηρᾶ δὲ καὶ χαλκῆ γενεὰ οὐδέποτε ἐγένετο ἀλλ' ἐφλυαρήθη ταῦτα*, hanc aperte dissentire cum ea quae in prooemio posita sit: *ἐμοὶ δὲ δοκεῖ γενέσθαι πάντα τὰ λεγόμενα* e. q. s. (p. 21). Sed neque ex brevitate horum capitum ea interpolata esse colligitur, cum ab excerptore in artum cogi potuerint[1]), neque tu quo usque progredi potuerit talis scriptoris stultitia definieris. Cum autem saeculum ferreum aut aereum numquam exstitisse sed inepte fictum esse contendit, aliquid veri fabulae subesse minime negat, sed quale id sit hoc quidem loco non exponit, nisi tu credideris haec excerptoris culpa excidisse.

Contra duae maxime res sunt, quae, me si audis, unum eundemque clament harum narratiuncularum auctorem.

Ac primum quidem ratio ac via fabulas interpretandi omnibus in capitibus eadem est, id quod ne Festa quidem negat (p. 4). Omnes enim inde natae esse dicuntur, quod homines aut id ipsum quod fiebat non recte intellegebant, velut iuvenes illos quos primos equitantes viderunt, monstra esse ex humano corpore et equino concreta opinabantur, aut quod rumorem qui de rebus gestis circumferebatur vocum quarundam ambiguitate decepti falso accipiebant. Haec autem vocum ambiguitas simplicissimum semper in modum efficitur a scriptore: aut pro bestia fabulosa substituitur homo eiusdem nominis, ut Pasiphaë

---

[1]) c. XXXVII verba cum iustam narrationem omnino non exhibeant, manca esse credo non tam excerptoris neglegentia, qui certe sensu carentia non scripsit, sed vitio quod archetypo antiquius est.

adamare dicitur non taurum sed iuvenem cui Tauro nomen erat (f. II), aut vocabula locutionesque adhibentur ancipites, ut Caeneus *ἄτρωτος* est i. e. ferro non vulneratus, quem fabula eadem voce dicit invulnerabilem (f. XI), ut Thebae conditae sunt lyra, non tamen ita ut lapides ad sonum citharae suopte motu congrederentur, sed ut canentem Amphiona cives in muniendo adiuvarent (f. XLII). Est etiam ubi ex translata oratione profluat ambiguitas, velut Actaeon et Diomedes devorati dicuntur a canibus suis vel equis, quod cum in iis alendis rem suam consumpsissent, vicini illius sortem sic fere conquesti erant: *δειλὲ Ἀκταίων, ὃς ὑπὸ τῶν ἰδίων κυνῶν κατεβρώθης* et similiter Diomedis (f. III et IV).

Nusquam autem translata haec oratio tam alte repetitur quam plus semel repeti videmus in fabellis quae Heracliti inscribuntur. Sunt enim inter eius fabularum explicationes plurimae persimiles Palaephateis, nonnullae differunt interpretationis artificio, quod allegoricam magis olet quam pragmaticam fabularum explicationem. Inspicias velim ipsam primam fabulam. Medusa Heraclito meretrix pulcherrima est, quae ipso aspectu viros quasi in saxa vertit. Hoc eiusdem farinae est cuius Palaephatea commenta; prorsus ab eis differunt quae sequuntur: Perseus ideo eam decollasse dicitur, quod florem iuventutis ei ademerit: *ἡ γὰρ κεφαλὴ τὸ τῆς ἡλικίας ἄνθος ἐστίν, ὃ ἀφείλετο αὐτῆς ὁ Περσεύς*, id quod addi debebat, quod *κεφαλὴν* iuventutis florem nemo umquam praeter Heraclitum intellexit. Equus autem ex eius collo provolasse fertur, quod *ἵππειον γῆρας ἐγήρασεν*[1]). Similia leguntur f. XI, XVII, XXVII, XXIX, XXXIX.

Ut Heraclitea collectione aequabilior est Palaephatea, ita comparari omnino non potest cum excerptis illis, quae Leo Allatius primus una cum Heraclito e codice Vaticano 305 edidit, Westermannus inter scriptores poeticae historiae Graecos recepit (p. 321—326), quorum in initio exstant notata de antiquissimis hominibus et de septem mundi miraculis, calci adduntur pauca de soloecismo et de Solonis *σεισαχθείᾳ*; ipsis autem

---

[1]) *ἵππειον γῆρας* proverbium est, quo utitur Dio Chrys. Or. VI p. 212 R, quod explicat Macarius cent. IV 80 *ἐπὶ τῶν πρὸς τῷ γήρᾳ δυστυχούντων.*

fabularum explicationibus plerumque scriptores quibus debentur adscripti sunt[1]).

Errat igitur Festa, cum comparatis his collectionibus verisimilius fieri contendit etiam ea quae sub Palaephati nomine accepimus e compluribus talium explicationum scriptoribus corrasa esse (p. 21).

Altera vero re, ni vehementer fallor, probatur non interpolatam esse epitomam, quod et oratio per omnia capita eundem stilum prodit tenuem sanequam et paene ieiunum et quod semper idem adhibetur ordo explicandi: paucis adumbratur fabula vulgaris, haec quam stulta sit modo strictim modo uberius ostenditur, sequitur vera historia, quae fabulae subsit[2]).

Dixerit quispiam: nonne facillimum erat negotium, si quis interpolare volebat Palaephatum, et orationem eius et ordinem, quem in singulis fabulis sequebatur, imitari? Audio. Sed hoc factum esse nisi certiora afferentur indicia quam quae Festa monstravit, non est cur credamus. Certe postquam opus Palaephati ob ipsam amplitudinem in epitomam redactum est, vix fuisse credo qui haec excerpta ex suo cerebello ditare vellent. Fieri sane poterat ut diligentiores lectores quas alibi legerant explicationes fabularum, eas ad marginem epitomae adscriberent, unde paulatim in textum commigrarent. At talia si re vera intrusa essent, nonne mirum esset, si unam omnia eandemque formam assumpsissent?

Itaque aut ego fallor aut in reliquiis Palaephati interpolationis indicia insunt nulla. Age iam circumspiciamus, num forte testimonia veterum contrarium nos doceant, ut Festae visum est, qui eo progressus est audaciae, ut editiones operis

---

[1]) Westermannum fugisse videtur Ps. Luciani libellum de astrologia quattuor huius capitibus subesse: c. XIII Anonymi = Luc. §§ 19, 18, 13; c. XIV = § 15, c. XVII = § 22, c. XVIII = § 21.

[2]) Hic ordo inversus non est nisi in f. XXXIII, ubi explicatur fabula de Amazonibus tradita, priusquam vulgaris eius forma allata est. Sed ad ipsum Palaephatum etiam hoc caput redire vel inde probabile fit, quod verba *στρατείαν δὲ γυναικὸς* (pro quo scripseris *γυναικῶν*) *οὐδέποτε εἰκὸς γενέσθαι, οὐδὲ γὰρ νῦν οὐδαμοῦ* aperte ad doctrinam in prooemio expositam provocant et verba *περὶ Ἀμαζόνων τάδε λέγουσιν* spectare videntur ad prooemii finem, ubi se ex natu maioribus in ipsis eis terris ubi res fabulosae gestae sint verum comperisse profitetur.

Palaephatei duas vel complures exstitisse nobis persuadere conetur (p. 22 sqq.).

Movet autem eum Joannes Malalas sexti p. Chr. n. saeculi chronographus, qui narrationes quasdam ut Palaephateas profert, e quibus una quae est de Sphinge et Oedipo prorsus diversa est a Palaephati f. VII (p. 50 sqq. ed. Bonn.), ceterae neque inveniuntur in epitoma neque maximam partem Palaephateis consimiles sunt. Wipprechtius autem has, excepta narratione de Hercule purpurae inventore, vere Palaephateas esse credit quamvis additamentis exornatas, illam autem e retractato et additamentis depravato exemplari sumptam esse. Denique pessime erravisse confitetur Malalam, ubi Persei regis Macedonum Palaephatum mentionem fecisse adnotat (p. 209_7 ed. Bonn.), cum Perseum regem confuderit cum heroe (p. 15—18).

Quid nos? Vehementer censemus falli et Festam et Wipprechtium quod Malalae eam auctoritatem concedunt, qua prorsus indignus est. Neque enim dubium est quin chronographus ille stultissimus et in litteris prorsus rudis, ut scripturam suam exornaret, eis quae e vilissimis certe libris corraserat, celeberrima quaeque scriptorum nomina adscripserit. Vide sis quae H. Gelzerus exposuit de Eusebio Malaliano[1]) quaeque Krumbacherus[2]) nuper in universum disputavit de Malalae fontibus: *Leider hat Malalas die Untersuchung seiner Quellen zu einer recht schweren Aufgabe gemacht; sein Werk ist auch in dieser Hinsicht ein echtes Volksbuch (?), in dem die derbste Spekulation auf den Köhlerglauben eines gutmütigen Leserkreises sich breit macht. Er citiert mit prahlerischem Behagen eine Menge von Autoren, welche von ihnen er aber thatsächlich und vorzugsweise benutzt hat, lässt sich jetzt nicht mehr genau feststellen.*

Quid multa? Quaecunque affert Malalas scriptorum testimonia imprimis clariorum — et Palaephatum illis temporibus clarum fuisse docet quae apud Nonnum abbatem illius fit commemoratio[3]) — ea in dubio remanere debent, donec aliunde ali-

[1]) *S. J. Africanus und die Byzantinische Chronographie* II p. 137.

[2]) *Geschichte der byzantinischen Litteratur* p. 113.

[3]) Hic VI p. Chr. n. s. quas Gregorius Nazianzenus in oratt. I, II, III respicit fabulas aut historias accuratias enarravit. Atque cum plerumque vulgarem fabularum formam sequatur, bis explicationes exhibet, ad I

quis evicerit, talia illos tradidisse qualia Malalas iactat. In hac tota igitur de interpolationibus Palaephati quaestione missum faciamus necesse est Malalam, quippe cuius memoriae aliorum testimonia non succurrant. Nam nisi vehementer fallor errat Wipprechtius, quod Eustathium ut testem addit Malalae. Nimirum quae ad λ 270 p. 1684 21 sqq. ed. R. de Sphinge tradit cum Malala prorsus conspirantia ex ipso Malala sine dubio hausit, cum eam fabulam quam nos in epitoma scriptam videmus, illum novisse e notatis ad ξ 508 1769 9 appareat[1]).

Sed alter iam procedat testis, gravis, me si audis, si Wipprechtium, levis, quippe cui non plus concedat auctoritatis quam Byzantinorum magistellorum miserrimo, Joanni Tzetzae. Hic sane nos non movet cum aliud ex Palaephato refert de Cadmo ac nos scriptum videmus, movet nos quam maxime Eusebii testimonium e docta S. Julii Africani chronographia repetendum, cuius cum Palaephati capite VI differentiam inde ortam esse ponit Wipprechtius (p. 13), quod ille Palaephati locum non satis intellexerit vel neglegenter inspexerit.

Sed septem locis Africanus idem oculis usurpavit quod nunc scriptum videmus in epitoma et recte transcripsit[2]): uno loco tam mire eum erravisse putas? At non erravit sed prorsus aliud ac Palaephatus suppeditabat, excogitavit. Videamus Syncelli verba (p. 306 16—21 ed. Bonn.) quae cum Eusebii versione Armenia (p. 42 k, l Schoene) et Hieronymiana (p. 43 h, i Sch.) consentiunt:

---

c. 65 ubi qua ratione Palaephatus Cyclopem interpretatus sit annotat, et ib. ad c. 85, ubi postquam fabulam de Marte ab Aloidis in aereo dolio incluso tradidit, *χαλκοῦς δὲ*, inquit, *κέραμος ἢ πόλις ἐστὶν οὕτω καλουμένη ἢ εἶδός τι δεσμοῦ δυσχεροῦς καὶ δυσλύτου.* Prior explicatio sapit Palaephati *Νεφέλην Τρικαρηνίαν* sim., ita ut hic quoque commentum Palaephateum deprendi credam.

[1]) Alia Malalae in Eustathii commentariis vestigia mihi in promptu non sunt. Sed illorum temporum philologis eum acceptum fuisse testis est Joannes Tzetzes, qui saepe eum laudat. cf. schol. in Lycophr. 111 (Mal. p. 71 B.) ib. ad vs. 355 (Mal. p. 109 B.).

[2]) Sync. p. 48 H b Schoe. = I (de Centauris)
— p. 42 H i — = VI (de Spartis)
— p. 46 H i — = VII (de Sphinge)
Hier. p. 55 g, V. A. p. 54 d = XXI (de Scylla)
Sync. p. 44 H l Schoe. = XXII (de Daedalo)
— p. 40 H h — = XXIX (de Medusa)
— p. 38 H d — = XXXI (de Phrixo).

Εὐρώπη Ἀγήνορος ὑπὸ Κρητῶν ἡρπάγη ἐμπόρων, ὥς φησιν Ἡρόδοτος· τοῦ δὲ πλοίου παράσημον ἦν ταῦρος· ταύτης ἐπὶ ζήτησιν ὁ Κάδμος ἐξελθὼν κτίζει τὴν Καδμείαν καὶ Θηβῶν ἐβασίλευσεν· τοὺς δὲ πλησιοχώρους αἰφνιδίως ἐπελθόντας αὐτῷ διὰ τὸ πανταχόθεν ὡς ἀπὸ γῆς συῤῥεῖν κατ' αὐτοῦ Σπάρτους ὠνόμασεν ὡς Παλαίφατος ἐν πρώτῳ φησί.

Contra in epitomae c. VI inde nomen Spartorum explicatur, quod rebelles a Cadmo pulsi sparsim se in vicinos fines receperint.

Quid igitur? retractatumne hic nos deprehendere Palaephatum credamus?

Minime vero. Sed cum docta haec de antiquissima Graecorum historia notata ex ampliore opere ab Africano aut ab antiquiore epitomatore excerpta sint, scriptorum testimonia hic illic conturbata et conflata esse veri simillimum est.

Africanum enim non ipsum tot clarissimorum scriptorum opera[1]) adiisse ut per se consentaneum est ita luculento comprobatur argumento, unde post Neronis aetatem fuisse illum cuius opus in suum usum vertit discimus. Dico doctam de Liberi morte et sepulcro disputatiunculam, quam Syncellus (p. 307 B; Schoenius p. 44 H c locum non integrum exscripsit) pleniorem quam Hieronymus (p. 45 c) et versio Arm. (p. 44 a) servavit, Malalas, ut solet, prorsus perturbavit (p. 45 ed. Bonn. — Eius verba ut peculiare Philochori fragmentum (22) anteponere Syncelli testimonio non debebat C. Muellerus F. H. G. I p. 387). Syncellus igitur Dinarchi poetae de Dionyso a Perseo occiso narrationi adiungit haec: τῷ δὲ βουλομένῳ πάρεστιν ἰδεῖν αὐτοῦ τὴν ταφὴν ἐν Δελφοῖς παρὰ τὸν Ἀπόλλωνα τὸν χρυσοῦν ἔνθα καὶ τὸ ὅπλον ἀνάκειται Αὐγούστου Καίσαρος καὶ Νέρωνος ἡ κιθάρα; tunc laudat Philochorum qui causam tradidit cur Liber pater ut μιξόθηλυς repraesentetur. Vix erit qui dubitet quin haec omnia e docto quodam fabularum historiarumque

---

[1]) Herodotus laudatur l. c.
Euripides: Sync. p. 20 H h Schoe.
Plato: Sync. p. 15 H g, 26 H o, 46 H k, 48 H a
Philochorus: Sync. p. 36 H l, H p, 44 H c, 48 Hg
Didymus: Sync. p. 40 H b H g
Palaephatus: locis supra exscriptis.

antiquissimarum corpore deducta sint, quod Nerone recentius fuisse necesse est. Inter excerpendum autem facillime sane fieri poterat, ut diversae eadem de re narrationes vel explicationes confunderentur.

Et adhuc digito monstrare possumus eam ipsam Spartorum explicationem, quam Africanus cum Palaephatea commiscuit. Exstat apud Diodorum XIX 53, 4: *μετὰ γὰρ τὸν ἐπὶ Δευκαλίωνος κατακλυσμὸν Κάδμου κτίσαντος τὴν ἀπ᾽ αὐτοῦ προσαγορευθεῖσαν Καδμείαν, συνῆλθεν ἐπ᾽ αὐτὴν λαὸς ὃν τινὲς μὲν Σπαρτὸν προσηγόρευσαν διὰ τὸ πανταχόθεν συναχθῆναι, τινὲς δὲ Θηβαγενῆ* e. q. s. Ipsum autem Diodorum hic deprehendi, non quem ille secutus est auctorem, inde veri simile fit, quod etiam Phrixi fabulae interpretationi Palaephateae infersit Africanus memoriae Diodoreae frustulum, exiguum sane adeo ut supra (p. 8) non respiciendum duxerim. Tradit enim (p. 38 H d Schoe.) Palaephatum arietem, qui est in fabula, *Κριὸν* fuisse dicere, paedagogum Phrixi, cum in epitoma ille sit *ἀνὴρ ἐπίτροπος τῶν πραγμάτων* Athamantis regis. Paedagogus autem audit in Dionysii Scytobrachionis narratione, quam Diodorus IV 47 servavit.

Huc fortasse facit etiam de Daedali et Icari volatu fabula, quam Syncellus (p. 45 H a Schoe.) sic explicat, ut dicat quod non potuerint illi reperiri postquam navi Minoem fugerint, ideo illos avolasse credi, cum in epitomae c. XIII quod celerrime navi vecti sint, ideo volare visos esse Minois militibus ostendatur. Sed cum Syncellus nomen Palaephati non nisi praecedenti de Daedali statuis fabulae adscripserit, Hieronymus (p. 45 l Sch.) et versio Arm. (p. 44 f) utrique, fortasse Eusebii hic error deprenditur.

Sic et ipsi in scriptorum testimoniis fidem denegavimus Africano, sed non temere factum speramus, ut temere alia in re ei denegavit Wipprechtius. Nam cum Suidae s. v. *Παλαίφατος Πάριος ἢ Πριηνεύς* testimonium de quinque libris operis cui inscriptum erat *περὶ ἀπίστων* optime confirmetur tribus Africani locis, ubi liber primus laudatur (v. Wipprechtium p. 11; Orosii locus I 13 § 4 quem ibi addit, ex Hieronymo (p. 49 b Sch.) fluxit), Suidas verum tradere censendus est. Jam videamus, quid moverit Wipprechtium, ut hoc addubitet et unum tantum

librum complexum esse opus Palaephati *περὶ ἀπίστων* contendat.

Atque quod Suidae s. v. *Παλαίφατος ὁ Αἰγύπτιος* verba *μυθικῶν βιβλίον α' λύσεις τῶν μυθικῶς εἰρημένων* (quae solutiones fabularum certe ad illud *περὶ ἀπίστων* opus spectant) ad unum idemque scriptum referamus, causam habemus nullam. Sed ad Probum Berytium, qui (ad Verg. Georg. III 113, p. 60 Keil) dicat: *ut Palaephatus in libro ἀπίστων ait*, et ad Theonem sophistam nos relegat Wipprechtius, qui (Progymnasm. VI. p. 221 W.) Palaephati Peripatetici *ὅλον βιβλίον περὶ τῶν ἀπίστων ἐπιγραφόμενον* exstare testetur.

Utrumque, ait, potuisse quidem vocibus *liber* et *βιβλίον* etiam complurium librorum opus significare, sed Theonem, qui illo loco Palaephatum ut in solis fabulis explicandis occupatum opponat aliis scriptoribus, qui non nisi data occasione talia attigerint, si plures eius operis libros cognovisset, librorum numerum ad vim sententiae suae augendam appositurum fuisse veri simile esse. Quid nos? Non curamus locum vilissimi illius ad Vergilii Georgica commentarii, qui Probi Berytii grammatici nomen mentitur, praesertim cum illic libri numerus excidere potuerit: Theonem unum tantum Palaephatei operis librum notum habuisse libere concedimus, non tam eam ob causam, quam Wipprechtius adducit quam quod vocibus *βιβλίον* et ***liber*** apud antiquos scriptores semper ***volumen*** significari Birtius[1]) accurate demonstravit, id quod illum fugisse videtur. Sed inde concludi arbitramur, iam illum non nisi epitomam oculis usurpasse. Quae suspicio augetur eo quod ille tres fabulas laudat, quae nunc in initio libelli exstant (de Centauris = I, de Diomede ab equis devorato = VII (secundum eum ordinem quem antiquum esse infra docebo), de Actaeone = VI), unam quae nunc a fine tertia est (de Medea = XLIV). Nam si quis dixerit hac re

---

[1]) *Das antike Buchwesen* p. 30: *Diese Thatsache ist allgemein anerkannt. Der Fülle von Grammatikercitaten verdanken wir, dass auf diesem Gebiete nichts so sicher garantiert ist als sie.* Ad exempla locutionis *ὅλον βιβλίον* ('*ein ganzer Band*') ab eodem allata (ib. p. 155 sq.) Kalbfleischius amicus addit maxime luculentum quod exstat in Galeno (VIII p. 698 K. cf. Rohdeum in Mus. Rhen. vol. XLIII p. 476 sq.): *ὥς (καὶ? R.) γὰρ ἐγχωρεῖ μὲν ὑπὲρ ἑκάστου τῶν ὀνομάτων ἓν ὅλον ποιεῖσθαι βιβλίον. ἔσται δὲ ἔπη πλείω τῶν χιλίων.*

nihil probari nisi hoc, excerptorem integri operis ordinem secutum esse, equidem quaero num veri simile sit et Theonem et excerptorem ex initio et ex fine tam ampli operis easdem fabulas ut memorabiles elegisse.

Ceterum plenum opus quo usque notum fuerit difficile est dictu. Africanum enim ex antiquiore fonte sua haurire, Malalam autem procul habendum esse demonstratum est; ad Nonnum Palaephati notitiam per commentariolum nescio quem pervenisse consentaneum est. Joannes quidem Tzetzes qui saepe citat Palaephatum (v. Fischeri conspectum p. LXIX n. XXVIII—XXXIV Pal. ed. VI ed.) nullam commemorat fabulam quae non exstet in epitoma. Verum enimvero qui triginta fere annis minor est Tzetza Eustathius pleniorem manibus trivisse videtur Palaephatum. Velut ad Ω 614 p. 1368 R. Niobae in saxum versae interpretationem uberiorem exhibet (cf. Wippr. p. 14) et ad α 2, 3 p. 1382 R. explicationem fabulae de muro Troiano ab Apolline et Neptuno exaedificato, quae omnino deest in epitoma neque ex scholiis ad Homerum quippe in quibus Palaephateae explicationes nunc quidem non insint, hausta esse potest. Annotationem ad *B* 70 p. 326 R. recte Wipprechtius inter Troicorum Palaephati fragmenta recepit (p. 51, fr. 5.). Eustathio cum bibliothecae Constantinopolitanae praesto fuerint, hoc non mirabimur.

Restat ut pauca dicamus de Ciridis Pseudovergilianae versu 87, in quem nomen Palaephati Jani Parrhasii illatum est coniectura ab editoribus fere omnibus accepta. Inter varias enim de Scylla narrationes poeta extremo loco affert eam quam

docta palepaphie testatur voce pachinus,

scilicet Scyllam non monstrum fuisse sed meretricem perniciosissimam. Haec cum aperte excogitata essent ab homine qui fabulas ad historiae similitudinem redigere studebat, sane haud absonum erat conicere:

docta Palaephatia testatur voce papyrus,

quamquam in epitoma quam nos manibus occupamus, Scylla ut navis piratarum Tuscorum explicatur (f. XXI). Neque ego quin recte fecerit Parrhasius dubitavi, donec Hermannus Dielesius, magister maxime venerandus, verba tradita non temptanda esse me docuit, quippe quae sensu minime careant, modo nostro scribendi more exhibeantur sic:

docta Palaepaphiae testatur voce Pachynus

i. e. Pachynus Siciliae promonturium rem testatur certius factum Veneris voce; hanc Palaepaphiam dicit poeta, non Paphiam, ut Alexandrino more doctrinam ostentet, is autem, qui more sane Palaephateo fabulam Scyllae interpretatus est, ut fidem addat explicationi suae, audacter finxisse videtur, eius testem nescio quo modo exstitisse Venerem, tutelarem meretricum deam, quam Pachyni ut in plerisque promonturiis Graecis cultam esse consentaneum est.

Jam evicisse nobis videmur nec ipsa quae tempus tulerunt Palaephatea nec posteriorum scriptorum testimonia nobis suspicionem movere libris *περὶ ἀπίστων* explicationes alienas inculcatas esse.

Epitomator autem ita rem absolvisse videtur, ut quae ei maxime arridebant fabulae, has eligeret et sat religiose transscriberet. Quamquam enim etiam singulis in capitibus nonnulla omisit vel in brevius coegit, velut in Eustathiano Palaephato, id quod deest in f. IX, explicatum erat, qua ratione fabula de Nioba, postquam in saxum erat mutata, lacrimante orta sit, tamen caveas ne nonnullarum fabularum brevitatem epitomatori potius quam Palaephato acceptam feras, quippe cui ut explicet mythum modo longiore narratione opus fuerit modo breviore, neve offendas in eo, quod saepius *λόγος* ille omissus est, quo explicatur rumorem de aliqua re male intellegi potuisse[1]): hunc ut ex historia narrata ipsi sibi fingerent lecturis eum commisisse credibile est, ne taedium moveret eodem fabularum remedio per quinque libros repetito, haud secus atque saepe quam stulta sit vulgaris fabula expressis verbis monstrare supersedit. Observa praeterea etiam in brevibus narrationibus exstare plus semel enuntiata, quae quamquam ad ipsam explicationem non necessaria sunt, tamen excerptor non recidit. Duo exempla attulisse satis erit: p. 273_{17} *οἱ γὰρ τότε ἄνθρωποι αὐτουργοὶ πάντες ἦσαν οἰκέτας δ' εἶχον οὐδ' ὅλως ἀλλ' ἑαυτοῖς ἐγεώργουν καὶ οὗτος ἦν πλουσιώτατος ὃς αὐτὸς ἐγεώργει καὶ ἐργαστικώτατος ὑπῆρχεν* et p. 281_{10}: . . . *ἐκβληθέντα δ' αὐτὸν* (sc. Icarum) *ὑπὸ τῶν κυμάτων*

[1]) cf. II, XIII, XVII, XVIII, XXX, XXXI, XXXII, XXXV, XXXVIII, XXXIX.

πατὴρ ἔθαψεν, id quod nihil valet ad rem explicandam. Haec copia atque ubertus multo latius patet in longioribus fabulis, quas fere integras descriptas esse ab epitomatore qui vel strictim perlegerit concedet.

Ceterum quantam Palaephatei operis partem servaverit epitomator aestimare possumus. Apud Westermannum exstant versus 725 ex quibus 30 explent unam paginam qualis in Teubneri bibliotheca usu venit. Ad 24 autem paginas, quae sic efficiuntur, accedunt additamenta, quae in amplioribus codicibus, quos meliores esse iam constat, exhibentur, quae a Westermanno in annotationes coniecta sunt, ita ut ad 28 vel 30 fere paginas ascendamus. Hae librum aequant quales sunt fere Platonis legum et rei publicae, ubi paginarum numerus variat inter 24 et 38; Xenophontis libri paulo ampliores sunt (inter 32 et 46 paginarum numerus variat).

Quintam igitur maxime totius operis partem usurpamus. Tamen operae fortasse pretium est inquirere num forte in epitoma lateant indicia, ex quibus quem ordinem Palaephatus in conserendis fabulis secutus sit, eliciatur.

Praeivit Festa (§ 3, p. 15—22), qui tamen eo peccavit, quod quinam ordo in epitoma deprehendatur non satis diligenter inquisivit. Praemonendum autem est editionem Aldinam, quam posteriores editores nec non Westermannus secuti sunt, priores sex fabulas, quibus hic accedit a Palaephato prorsus aliena quae quinto nunc loco exstat, non eo exhibere ordine quem libri manu scripti qui quidem pleni sint testantur. [1]) In his fabulam II (de Pasiphae) excipiunt fabulae VI (de Spartis), VII (de Sphinge) VIII (de vulpe Teumessia); sequuntur f. III (de Actaeone) et IV (de Diomede).

Atque primo obtutu perspicies ter in hoc libello fabulas deinceps tractari, quarum eadem est et res mirabilis et interpretationis medela: III et IV (de Actaeone et Diomede a cani-

---

[1]) Haec ordinis fabularum in Aldina perturbatio inde fluxit, quod cum in eo codice quem expressit ut in omnibus classis A libris fabulae sextae finis, f. VII, VIII, III, quartae initium desiderarentur, lacunae adhibito cod. cl. E expletae sunt ita, ut falsus ordo qui in eo exstabat (fabulae sic se excipiunt in cl. E codd.: III, IV, IX, X, V, XI—XX, I, II, VI—VIII) retineretur. Cf. Vitellium l. l. p. 308 sq.

bus suis vel equis devoratis), XI et XII (de Caeneo Cycno Aiace invulnerabilibus), XIV et XV (de Atalanta et Melanione atque Callisto in leones mutatis) et Festa monstravit indicia quibus adducimur ut hoc non novatum esse ab epitomatore credamus (p. 19). Nec dubito quin recte contenderit (p. 17), f. XXVI de Glauco Sisyphi filio ab equis suis comeso post f. IV de Diomede transponendam esse, praesertim cum ex inscriptione huius capitis quae exstat in codd. classis b[1] (cf. Vitellium l. l. p. 315[1])): περὶ Διομήδους elucere videatur, non epitomatorem sed magistellum quendam, ut f. XXVI una cum XXVII et XXVIII quae ad Glaucos alios spectant legeretur, pristinum ordinem turbasse. Praeterea Festa Palaephatum fabulas quae ad eundem pertineant hominem deinceps explicavisse conicit et statim priusquam exemplis hoc probaverit, falso nunc disiunctas esse f. XIII, quae est de Daedali et Icari volatu, et XXII quae de illius statuis se moventibus, contendit. Exempla autem exstant, velut in f. II, postquam Minotaurus qua ratione fictus sit explicatum est, paucis indicatur Thesei cum eo pugna non filo illo sed gladio ab Ariadna dato adiuti, in f. XVIII non uter solum Aeoli explicatur sed etiam murus aeneus. Ipse autem sibi non constat Festa, cum num recte in f. XLIV et XL duae explicationes quae ad eandem spectant personam, conflatae sint dubius haeret (p. 18[1])). Quinam enim dirimas quae in illo capite de Medea traduntur, quae senum crines canos fuco quodam nigros reddere et vaporatione eos recreare potuerit? Nec mihi persuadere possum uno loco Cerberi figuram explicatam fuisse, altero Herculis ad eum in lucem protrahendum descensum.

Ceterum non solum intra unum caput duae de uno heroe vel monstro fabulae tractantur, sed etiam compluria per capita. Velut quinque deinceps capitibus fabulae Heracleae explicantur (XXXVII—XLI) et post tria alius argumenti capita iterum duae (XLV et XLVI).

Valde autem miror quod nec Festa nec Wipprechtius animadverterunt, permulta se excipere capita, quae multo tenuiore vinculo coniugentur. Percenseamus libellum.

Centaurorum (I) fabulam subsequitur Minotauri (II): monstra sunt ex homine et quadrupede concreta. In hac fusius expositum est quam non cogitari possit ex tauro et femina tale

animal generari. Aeque incredibilis Spartorum est generatio (VI). Iam perventum est ad fabulas Thebanas: tales persequuntur quae iam adnexa sunt capita de Sphinge et de vulpe Teumessia (VII et VIII).

Vulpem illam, quam homines devorare perhibebant, apte excipiunt Actaeonis canes (III), Diomedis et Glauci equi (IV et XXVI). Iam intelliges, quam aptus sit ordo ille, quem etiam codices nonnulli pristinum fuisse in epitoma testantur.

Niobae fabulam (IX) nullo, ut videtur, cum vicinis capitibus vinculo coniunctam sequuntur quinque narrationes X (de Lynceo qui metalla sub terra cernere credebatur) XI, XII (de Caeneo Cycno Aiace invulnerabilibus), XIII (de Daedalo et Icaro avolantibus e carcere), quas eo contendi luce clarius est, quod in iis tales corporis vires hominibus attribuuntur, quales humanam naturam excedant.

Diversi argumenti sunt quae sequuntur fabulae inter se simillimae de Atalanta et Melanione (XIV) et de Callisto (XV), cui ideo fortasse adiuncta est fabula Europae (XVI) quod et Callisto et Europa a Jove adamantur.

Proxima capita solitaria esse videntur: XVII: de equo Troiano, XVIII: de Aeoli utre et muro aeneo, XIX: de Hesperidis, XX: de Centimanis, XXI: de Scylla, XXII: de Daedali statuis. Rursus coniunguntur inter se f. XXIII et XXIV explicationis similitudine quadam: Phinei victum filiae dissolutae ac libidinosae perdiderunt — Erysichthoni cum ipse rem familiarem consumpsisset, Mestra filia procos alliciendo cotidianum victum paravit.

Solitariam Geryonis fabulam (XXV) sequuntur duae narrationes arte inter se coniunctae de Glauco Minois filio, quem herbae vi revixisse credebant et de Glauco Anthedonio, cui herba immortalem sub mari vitam comparasse ferebatur. Hunc, quem ipsum hominem sub aequore vitam degere credebant, non inepte excipit Pegasus (XXIX) equus, cui ut aërem pervolaret poetae concesserunt. Eiusdem est argumenti Pelopis, equorum alatorum aurigae, fabula, apte autem hanc subsequitur fabula de ariete illo, quem Phrixum et Hellen per mare in Colchidem portasse tradebant. Rursus explicationis similitudine conectitur cum hac proxima Phorcidarum fabula: Crii enim illius quem

imprimis fidum habuit Athamas rex plane gemellus est ille quo et Phorcidarum pater et ipsae filiae ut ὀφθαλμῷ utuntur, aurea autem Co, Pelopis matris imago et Gorgonis aurea statua eodem redeunt.

Phorcidarum regnum ut βασιλείαν γυναικῶν repraesentaverat Palaephatus (p. 296_{15}): transitur f. XXXIII ad Amazonas. His consimiles sunt mulieres bacchantes, quibus Orpheus medetur (f. XXXIV). Hunc arbores secutas esse cur creditum sit explicatur: sequuntur duae narrationes quae ad homines ex arboribus vel limo generatos spectant: f. XXXV (de Pandora) et XXXVI (de hominibus e fraxinis ortis). Similis argumenti f. XXXVII fuisse videtur, quo transitur ad fabulas Herculis, quas iam commemoravi, quibus interpositae sunt fabulae de Zetho et Amphione (XLII) de Jo (XLIII) de Medea (XLIV).

Iam patet, opinor, in epitoma fabulas se excipere non solum eas, in quibus et res mira eadem sit et ratio explicandi aut quae ad eundem heroem pertineant vel eundem locum, quales Thebanae sunt fabulae, sed etiam quae sola aut vulgaris narrationis aut explicationis similitudine contineantur. Neque dubium mihi videtur, quin hic ordo subtilior sit quam quem excerptor excogitaverit. In promptu autem est conicere ubi nunc desideratur inter capita vinculum, quaedam intercidisse.

Haec si recte disputata sunt, Palaephatus materiam non ita digessit ut, quod quis forte crediderit, singulis libris certum seu fabularum seu explicationum genus tribueret; sed rem multo liberius absolvit ita ut in conserendis fabulis filum modo hoc modo illud legeret.

Jam ad alteram partem quaestionis de fide excerptorum Palaephateorum institutae aggrediamur, quae id spectat ut, num probus fuerit epitomator atque diligens etiam in singulis verbis transcribendis enucleemus. Qua in re quoniam desideratur adhuc editio vere critica, ad eos tantum locos attendere licet, qui meliorum codicum consensu stabiliti sunt.

Atque ut excerptori fidem habeamus et ipsa orationis ubertas, quam ne in brevioribus quidem fabulis desiderari iam vidimus, monere videtur et quas allaturus sum de oratione his in fabulis observationes.

Dictionis enim aequabilitas satis memorabilis est, quae ea

re optime cernitur, quod propriae quaedam locutiones saepius adhibentur. Velut ubicunque nomini hominis cuiusdam populi unde oriundus est nomen vel aliud appellativum additur, hoc coniunctum est cum voce *ἀνήρ* vel *ἄνθρωπος*, velut Cadmus est *τῷ γένει ἀνὴρ Φοῖνιξ* (p. 276_1; similia: p. 273_{15}, 278_3, 278_{12}, 280_1, 282_{16}, 284_7, 287_{11}, 291_7, 295_{14}, 303_5), Glaucus *ἀνὴρ ἁλιεύς* (p. 289_{14}; sim. 293_{20}, 300_5).

Quid quod constructio quae voce Graeca vocatur *ἓν διὰ δυοῖν* sat mira bis occurrit? Centaurorum enim biformis natura in fine primae fabulae (p. 271_5) sic indicatur: *ἀπὸ δὴ ταύτης τῆς ἰδέας καὶ λόγου ὁ μῦθος ἀπίστως ἐπλάσθη, ὡς ἐκ τῆς Νεφέλης ἵππος τε καὶ ἀνὴρ ἐγεννήθη ἐν τῷ ὄρει;* Sparti vero armati e terra editi sic significantur: (p. 275_{18}) *ἔπειτα ἐξέφυσαν ἄνδρες τε καὶ ὅπλα.*

Eodem facit quod voci *κεφαλή* ter apud Palaephatum vis inest aliis, quantum quidem scio, scriptoribus inaudita. Significat enim superiorem vel anteriorem corporis partem; f. VII p. 276_{18} *περὶ τῆς Καδμείας Σφιγγὸς λέγουσιν ὡς θηρίον ἐγένετο σῶμα μὲν ἔχον ὡς κυνός, κεφαλὴν δὲ καὶ πρίσωπον κόρης;* hic igitur idem valet *κεφαλὴ* atque *προτομή*. Inde explicatur initium primae fabulae: (p. 269_9) *περὶ Κενταύρων φασὶν ὡς θηρία ἐγένοντο καὶ ἵππων μὲν εἶχον ὅλην τὴν ἰδέαν πλὴν τῆς κεφαλῆς, ταύτην δὲ ἀνδρός.* Centaurorum enim non caput tantum sed dimidium corpus humanum est ita ut inguinibus equi corpus accreverit. Haud secus canum *προτομαί*, quae ex Scyllae utero artis in monumentis eminent, *κεφαλαὶ* dicuntur in f. XXI p. 285_{11}.

Sed erunt fortasse qui haec ab excerptore non minus quam ab ipso Palaephato profecta esse posse censeant: his opponam quae in tanta orationis aequabilitate satis memorabilis est varietatem, quam iis locis observamus, ubi scriptor vulgarem fabulae formam reprobat.

Atque huius loci tres potissimum distingui possunt formae, quarum primae exemplum ipsa prima fabula exhibet: (p. 269_{11}) *εἴ τις οὖν πείθεται τοιοῦτον γενέσθαι θηρίον, ἀδυνάτοις πεπίστευκεν . . . . τὸ δ᾽ ἀληθὲς ἔχει ὧδε.* Jam vide quam diligenter variatum sit hoc exemplar; conferas (p. 279_2) *ὅστις δὲ πείθεται ἐκ λίθου γενέσθαι ἄνθρωπον ἢ ἐξ ἀνθρώπου*

λίθον εὐήθης ἐστίν· τὸ δ' ἀληθὲς ἔχει ὧδε . . . . (279_{16}) *ὃς δ' ὑπολαμβάνει ἄτρωτον ὑπὸ σιδήρου ἄνθρωπον, εὐήθης ἐστίν· ἡ δ' ἀλήθεια ἔχει οὕτως* . . . . (301_{6}) *τοιοῦτον δ' εἴ τις πείθεται γενέσθαι, μάταιός ἐστιν* . . . . (285_{12}) *τοιαύτην δὲ φύσιν ἐννοεῖν πολλὴ εὐήθεια· ἡ δ' ἀλήθεια αὕτη* . . . . (281_{1}) *νοῆσαι δ' ἄνθρωπον πετόμενον ἀμήχανον καὶ ταῦτα πτέρυγας ἔχοντα προσθετάς· τὸ οὖν λεγόμενον ἦν τοιοῦτον,* (p. 300_{4}) *ὡς δὲ μάταιον τὸ ἄνδρας ἰχθῦσι συνθήκας τίθεσθαι τίς οὐκ οἶδεν; ἀλλ' ἦν* . .

Alteram formam etiam saepius invenimus et ipsam multifariam variatam: (p. 279_{9}) . . . *τοῦτο δὲ ψεῦδος· τὸ δ' ἀληθὲς ἔχει ὧδε* . . . . (sim. in f. III et XXXIV), (p. 275_{18}) . . *εἰ δὲ τοῦτο ἦν ἀληθές, οὐδεὶς ἂν τῶν ἀνθρώπων ἔσπειρεν ἄλλο τι ἢ ἰδόντας δρακόντων· τὸ δ' ἀληθὲς οὕτως ἔχει* . . . . (p. 283_{2}) *ἔστι δὲ μυθώδης ἄγαν ὁ λόγος· ἡ δ' ἀλήθειά ἐστιν αὕτη* . . . (p. 277_{5}) *ἔστι δ' ἄπιστος καὶ ἀδύνατος ὁ λόγος· οὔτε γὰρ ἰδέα τοιαύτη δύναται γενέσθαι* . . . (sim. in f. XXV); (p. 285) *πῶς δ' οὐκ εὔηθες τὸ τοιοῦτον; τὸ δ' ἀληθὲς οὕτως ἔχει* (sim. in. f. VIII. XXVIII); (p. 299_{3}) *ὁ περὶ Πανδώρας οὐκ ἀνεκτὸς λόγος* . . . . . *ἐμοὶ δὲ δοκεῖ τοῦτο* . . . (p. 274_{12}) . . . *τοῦτο δὲ γελοῖον, τὸ γὰρ ζῷον τοῦτο* . . . . *ἡ δ' ἀλήθεια ἥδε* (sim. in f. XXIV, XXVII, XXXII)

Tertium genus eo ab aliis duobus differt quod scriptor prima quam dicunt grammatici persona utitur: (p. 271_{11}) *ἐγὼ δὲ οὔ φημι τοῦτο γενέσθαι· πρῶτον μὲν γὰρ* . . . *τὸ δ' ἀληθὲς ἔχει οὕτως* . . . (p. 282_{6}) *καὶ ὁ περὶ Καλλιστοῦς λόγος τοιοῦτος· ἐγὼ δέ φημι* . . . . . (p. 283_{15}) . . . *περὶ δὲ τούτου ὡς οὐχ οἷόν τε δῆλον εἶναι πᾶσιν οἶμαι· εἰκὸς δὲ* . . . . *φασὶ δὲ ὅτι* . . . . . . *ὅπερ ἐστὶ ψευδές· ὁπλίτας γὰρ ὡς οἶμαι εἶχε,* (sim. in f. XVI, XXII, XXVI, XXXIX, XLI).

Hanc dictionis varietatem non excerptoris esse sed eius qui hanc scripturam condidit mihi quidem constat. Licet igitur quam hic deprendimus in singulis locutionibus transscribendis fidem, ad totum opus pertinere coniciamus.

Egregie ergo fallimur aut probavimus epitomae Palaephati nos insistere posse ut sat certo ac firmo fundamento.

II.

De aetatis et patriae Palaephati incredibilium scriptoris quae insunt in epitoma indiciis.

1.

Wipprechtius priusquam ut aetatem indaget Palaephati, orationem eius excutere conetur, e rebus quae in excerptis certae aetatis notam ferant, et e testimoniis posteriorum scriptorum terminos quosdam eruere studet, quibus quaestio artioribus finibus circumcludatur (p. 27 sq.). Sed certiora hac in re proferri posse existimo quam quae ille posuit.

Etenim ut veri simile est re vera Palaephatum in prooemio Melissum, Samium philosophum, Periclis aequalem laudare, ita dubium, num quem ibi addit Lamiscus Samius, Pythagoreus sit ille qui in epistola Pseudo-Platonica VII p. 350 B. Archytae et Platonis amicus perhibetur.

Certum est, id quod Wipprechtius non monuit, Palaephatum antequam Euripides Alcestidem fabulam docuit i. e. ante annum a. Chr. n. 438 scribere non potuisse f. XLI, cuius initium est: *περὶ Ἀλκήστιδος λέγεται μῦθος τραγικώδης*. Primum autem Euripidem hanc fabulam in scaenam produxisse testatur Aristophanes Byzantius, cum annotat in fabulae argumento: *παρ' οὐδετέρῳ κεῖται ἡ μυθοποιία* i. e. neque apud Aeschylum neque apud Sophoclem (Eurip. ed. Nauck. I p. 3_{18}).

Sed ad aetatem fere saeculo posteriorem deferimur, si C. Muellerus periplus Hannonei notitiam in Palaephato exstare recte coniectavit. Hannonis enim regis Carthaginiensium de itinere circa Africae oram quae ad occasum spectat commentarium non ante Theophrasti tempora Graecis innotuisse ut per

se veri simile est ita nuperrime demonstrare conatus est C. Th. Fischerus[1]). Nullus autem equidem dubito quin Muellerus[2]) recte statuerit Palaephatum cum in f. XXXII narret Cernaeos in Libya extra Herculis columnas incolere (p. 295_{14} sqq.) *περὶ τὸν Ἄννωνα ποταμὸν κατὰ Καρχηδόνα*, Hannonem respicere, qui § 8 tradit: *ἐτεκμαιρόμεθα δ᾽ αὐτὴν* (sc. Cernen insulam) *ἐκ τοῦ περίπλου κατ᾽ εὐθὺ κεῖσθαι Καρχηδόνος* et in verbis *περὶ τὸν Ἄννωνα ποταμόν* Hannonis nomen delitescere. Flumen enim cui hoc nomen sit aliunde non notum est. Nimis autem cautus mihi esse videtur Fischerus, qui cum de codicum scriptura non iam satis constet, de hoc loco iudicium cohibere iubet. Nam quis casui tribuerit, quod eodem loco et scriptoris illius nomen quamvis male intellectum et singularis eiusdem de Cernae insulae situ notitia repperitur? Tamen hoc ut minus certum mittere praestat: unum tenemus post quem scripserit Palaephatus terminum: annum a. Chr. n. 438.

Ex posterioribus autem scriptoribus primus[3]) expressis verbis commemorat Palaephati *περὶ ἀπίστων* opus Theo ille, de quo supra egi, quem Hermogene antiquiorem esse constat, primo p. Chr. n. saeculo fuisse veri simile est[4]).

His praemonitis quid Wipprechtio ex oratione libelli *περὶ ἀπίστων* diligentius inquisita redundare videatur ad eius aetatem definiendam reputemus.

Recte Wipprechtius ad quaestionem propositam dirimendam

[1]) *De Hannonis periplo*, Lipsiae 1893, p. 109 sqq.

[2]) *Geographi Graeci minores* I p. XXX.

[3]) Neque enim Athenionis comici versus *καινὸς γάρ ἐστιν οὑτοσὶ Παλαίφατος* (apud Athen. XIV 660e, Mein. F. C. G. IV 557, Cock. III. 369) ita comparatus est, ut ad unum e Palaephatis a Suida enumeratis certe referatur, neque scimus quis fuerit Palaephatus ille, quem Plinius in indice libri XXIX inter externos auctores nominare videtur (Silligio teste exhibent codd. R a: Phalapato, V d: Phalaphato, T, qui levioris est auctoritatis (v. Detlefseni praef. ad vol. I, p. 4, Iani ad vol. I ed. 2. p. IV): Philopatore, id quod coniecturae deberi videtur; Palaephato reposuit Harduinus, quem recentiores editores secuti sunt).

[4]) Progymnasmata Theoni stoico, Augusti aequali attribuenda esse, qui Suida teste *περὶ τεχνῶν ῥητορικῶν βιβλία γ'* scripsit quemque bis laudat Quintilianus (IX 3, 76, III 6, 48) Hoppichlerus coniecit (*De Theone* etc. Diss. Wirceb. 1884), cuius argumentis novum nuperrime addidit Thieleus (*Hermagoras* p. 5[1])).

rerum grammaticarum observationem haud multum valere professus est (p. 29 sqq.). Nam his in rebus excerptoris potius quam scriptoris manum deprehendi in aperto est. Itaque his missis quae de vocabulorum usu sibi explorasse videtur diligentius excutiamus.

Atque § IIa (p. 35—39) congessit eas voces quae cum poetis propriae sint, a prosae orationis usque ad Aristotelem scriptoribus alienae fuerint. Satis enim constare „posterioris aetatis scriptores permultis vocabulis poetarum sermoni propriis usos esse, non ut ornatiorem redderent locutionem sed quod poeticam illarum vocum naturam non iam sentiebant.“ Hoc fundamentum parum stabile esse nemo non concedet qui secum reputaverit apud scriptores Aristotele antiquiores poeticarum vocum usum late patere. Velut in Thucydide *τὸ ποιητικὸν τῶν ὀνομάτων* iam Dionysius Halicarnassensis bene animadvertit (de Thuc. c. 24; cf. Blassium, *Die attische Beredsamkeit* I p. 205). E Xenophontis vero scriptis post G. Sauppei in Lexilogo utilissimam syllogen Rutherfordius[1]) nonaginta fere huius generis vocabula collegit, Platonem eadem saepe, saepe alia adscivisse nec Rutherfordius animadvertit nec Krelingius in prooemio quod poeticorum apud Polybium et Diodorum vocabulorum conspectui praemisit[2]). Immo ille Platonem duobus locis (p. 165 s. v. *ἀλίζειν* et s. v. *ἄλκιμος*) a talis abusus criminatione defendere studet et recte hic quidem. Verum tamen convenit Platoni cum Xenophonte de usu horum vocabulorum: *ἀλεξητήρ* (Pl. usurpat *ἀλεξητήριος* Pol. 279 d) — *τημελεῖν* (leg. XII 953 a; apud Xenoph. non nisi *ἀτημέλητος* exstat) — *γοᾶσθαι* (*γόος* apud Atticos non invenitur; apud Plat. leg. VII 800 d exstat *γοώδης*) — *εὐθήμων* (Xenoph.: *εὐθημοσύνη*; Pl. leg. VI 758 b: *εὐθημονεῖσθαι*) — *σαφήνης* (Xenoph.: *σαφηνίζειν*; Plat. saepe *σαφήνεια* e. g. Pol. 264 c). His addenda sunt vocabula quaedem poetica, quae Rutherfordius nescio qua de causa in indicem suum non recepit: *εὐειδής* (saepius apud utrumque, velut Xenoph. Exped. II 3, 3; Comment. III 11, 4; Pl. Pol. VI 494 c; VII 535 a; Crit. 44 a) — *θοίνη*, quae vox apud Atticos praeter Xenophontem et Platonem scriptores

---

[1]) *The new Phrynichus* 1881 p. 165—174.

[2]) *De usu poeticorum et dialecticorum vocabulorum apud scriptores Graecos seriores, pars I.* Diss. inaug. Rheno-Traj. 1886, p. X.

non usu venit, nisi quod Cratinus comicus semel adhibuit in tetrametro trochaico verbum inde derivatum *θοινᾶσθαι*: Meineke F. C. G. II p. 107, 1; apud Platonem autem exstat *θοίνη* Phaedr. 236c, Theaet. 178d, apud Xenoph. Instit. Cyr. IV 2, 39; Agesil. 5, 1; *θοινάζειν* ib. 8, 7; *θοινητικός* Oec. 9, 7.

Aristotelem denique vocabulorum delectum haud ita curasse inter omnes satis constat.

Ex poeticorum igitur vocabulorum apud Palaephatum usu certi quicquam concludi nequit.

Sed ne forte quis ipsa multitudine earum vocum quas Wipprechtius congessit offendatur, has paulo diligentius perlustremus.

Atque primum quidem ex hoc numero expungenda sunt duo vocabula, quae quo apud Palaephatum eo sensu non usu venire nisi apud comicos contendit: *ἐμπολή*[1]) et *πυρπολεῖν*. Comicos enim poetas vocabulorum in usu canticis et tragicorum aliorumque poetarum parodiis exceptis quam maxime conspirare cum pedestris sermonis scriptoribus Atticis compertum est. Rutherfordii hac de re disputationem attulisse satis est (l. l. p. 32 sqq.).

Deinde vocem *μῆλα* pro *πρόβατα* Palaephatus non adhibuit nisi ut Hesperidum fabulam ex male intellecta hac voce explicaret et ipse eam sibi alienam esse eo testatur, quod addit *μῆλα δὲ καλεῖται τὰ πρόβατα* (p. 284_{11}).

Quod autem *εὐκάρπους* dicit Palaephatus Hesperidum oves (p. 284_9) minime poeticum vocis usum imitatus est. Wipprechtii quidem exempla huc non faciunt. Nam in hymn. in matr. deor. 5 *ἐκ σέο δ' εὔπαιδές τε καὶ εὔκαρποι τελέθουσιν* (sc. *ἄνθρωποι*) agri fructus intelligendos esse putaverim, quibus mater deorum donat homines non minus quam liberis, et Sophocles cum *εὔκαρπον Κυθέρειαν* dixit (F. T. G. ed. Nauck. ed. II fr. 763), vix gregum subolem intellexit sed maritorum.

---

[1]) Ceterum hoc vocabulum vel ideo hinc removendum est, quod in versu Arist. Ach. 930 *ἔνδησον ὦ βέλτιστε τῷ | ξένῳ καλῶς τὴν ἐμπολὴν | οὕτως ὅπως | ἂν μὴ φέρων κατάξῃ* propria m e r c i s significatio agnoscitur; merx quam Boeotus domum portare iubetur est Nicarchus sycophanta, qui in versibus subsequentibus acerba cum cavillatione vasi rupto comparatur. Apud Palaephatum autem p. 307_{13} cum pecuniam significet ex negotiatione paratam, cuius usus primus testis est Dio Chrys. or. 77 p. 414 R, inter eas voces ponendum est, quas W. sub b collegit.

Omnino autem hac voce Palaephatus non tam fecunditatem illarum ovium significare mihi videtur quam quod e lana lacte pellibus aliis percipitur lucrum, siquidem Xenophon in Cyri instit. I 1, 2 scribit: τοῖς καρποῖς τοίνυν τοῖς γιγνομένοις ἐξ αὐτῶν (sc. gregibus) ἐῶσι τοὺς νομέας χρῆσθαι, et scriptor ignotus libri alterius Oeconomiae Aristoteleae, qui tertio a. Chr. n. saeculo fuisse videtur, p. 1346a 2 (sim. 1348a 23 et 25): ἡ ἀπὸ τῶν βοσκημάτων (sc. πρόσοδος) ἐπικαρπία τε καὶ δεκάτη καλουμένη.

Ut Sophoclis verba ita Euripidis Andromachae v. 947 non satis diligenter inspexit Wipprechtius, cum confirmavit vocabulo συμφθείρειν vim plane corrumpendi ut apud Palaephatum p. 269_{19} ita illic inesse: mulieres domo arcere iubet poeta: αὗται γὰρ διδάσκαλοι κακῶν · | ἡ μέν τι κερδαίνουσα συμφθείρει λέχος, | ἡ δ' ἀμπλακοῦσα συννοσεῖν αὑτῇ θέλει. Luce clarius est voce συμφθείρειν significari adiutricem esse flagitii. Ceterum hoc compositum secundum analogiam confectum est talium verborum: συνταράσσειν = conturbare (Thuc. II 52) — συγκόπτειν = contundere (Dem. XXI 57) — συμβιάζειν = vi compellere (Dem. VIII 41) — συνδάκνειν = commordere (Xenoph. Equ. 6, 9) ita ut haud multum referat, quod apud Plutarchum demum in litteris exstat hic verbi συμφθείρειν usus (Moral. 997a: αἷμα καὶ γάλα καὶ λίθρον ἐμβρύων ὁμοῦ συμφθαρέντων ἐν ὠδῖσιν i. e. sanguis lac et pus fetuum simul contusorum in partu; cetera exempla a Wipprechtio ex Plutarcho allata miscendi notionem exhibent).

Jam vero etiam id improbo in Wipprechtio, quod voces poeticas esse nuncupavit, quae tam rarae sunt, ut cum poeticae dictionis notam non secum ferant, utrum poetis propriae sint necne diiudicari nequeat.

Velut cum consentaneum sit ὑλοτόμους in litteris Graecis haud ita saepe commemorari, inde quod post Homerum primus Theophrastus hoc substantivum adhibuit, nihil potest sumi. Neque ideo quod verbum διαφημίζειν apud primum Aratum exstat aut ἐμβατεύειν apud solum Leonidam Tarentinum, hae voces ex poesi debent repeti.

Ἄσημος denique adiectivum cum p. 287_4 codices optimi non omnes exhibeant, mittere satius duco.

Reliqua ergo sunt e viginti quae attulit Wipprechtius voca-

bulis undecim. Ex his voces λάβρος, φορός, σαίνειν primus Aristoteles, ματαιάζειν Epicurus, ἰκέτις scriptor Pseudoaristotelei libri II Oeconomiae adscivit, vocem autem πολεμιστής non, ut scribit Wipprechtius, Maccabaeorum libri sed versio Graeca veteris testamenti quae septuaginta interpretum vulgo audit (permultis locis, velut I. Sam. XVI 18 cf. Schleusneri novum Thesaurum in LXX interpret. IV p. 401, 402), δέσμιος non primus Polybius sed rursus LXX interpretes (Thren. III 33 Zach. IX 11, 12, Sap. XVII 2), βαστάζειν verbum non Polybius sed LXX (II Reg. XVIII 14). Cetera vocabula ἕδνον, αἰχμητής, ξύλοχος aut omnino in prosa oratione non inveniuntur aut apud scriptores Polybio posteriores.

His addendum est verbum a Wipprechtio omissum ῥύεσθαι (p. 304_{22}) quod poetis et Herodoto tritum (cf. eius verba V 49_3 ῥύσασθε Ἴωνας ἐκ δουλοσύνης) inter pedestris sermonis scriptores primi LXX interpretes adhibuerunt (Gen. XLVIII 16 saepius), nisi quod Thucydides uno loco adscivit, sensu prorsus diverso, V 63, ubi Agis rex promittit Lacedaemoniis se ἔργῳ ἀγαθῷ ῥύσεσθαι τὰς αἰτίας i. e. ἀπολύσεσθαι (sic ib. 75).

Jam transeamus ad ea vocabula Palaephatea quae in litteris Aristotelis aetate antiquioribus aut omnino non exstant aut non eo quo apud Palaephatum et posteriores alios scriptores sensu. Priusquam autem quid inde colligi possit definiamus, quam coacervavit Wipprechtius materiam retractemus (§ II b. p. 39—45).

Neque enim minus in hoc capite quam in priore bifariam mihi peccasse videtur. Primum enim cum pateat non eandem omnia vocabula quae huc spectant, ad rem probandam vim habere, cuius quodque momenti sit quaerere supersedit; tum singularum vocum historiam minus quam par erat diligenter persecutus est. Illud dixerim contra vocabula quaedam ab illo in hunc indicem coniecta, quae ex simplici nomine vel verbo Atticis usitato et praepositione composita sunt. Talia cum omnibus temporibus secundum constantem analogiam ficta sint, inde quod hoc aut illud compositum ante Aristotelem in litteris non invenitur, nihil redundat ad quaestionem propositam.

Velut συνέκδημος formatum est ab adiectivo Atticis trito ἔκδημος sicut Aristoteleum (Pol. β 5 1263 a 17) συναπόδημοι ab adiectivo ἀπόδημος. Ceterum grammaticis Alexandrini quod

dicitur aevi *συνέκδημος* vocem notam fuisse probatur titulo, quem Jonis Chii cuidam operi inscripserunt: *συνεκδημητικός* (Pollux II 4, 19 cf. Muelleri F. H. G. II p. 49 fr. 10).

Eiusdem generis sunt: *συναπαίρειν*, *διακολυμβᾶν*, *διανήχεσθαι*, *προσαναπλάσσειν*.

Hic annotare non ab re est, verba cum compluribus praepositionibus composita qualia Polybius summopere amat, in Palaephato non saepius reperiri quam apud Atticos scriptores.

Praeterea eas voces missas faciamus oportet, quae sola forma ab antiquiorum scriptorum usu discrepant, velut *συγκυνηγός*, *κυνηγεῖν*, *μνηστεύεσθαι*[1]) quarum antiquior forma est *συγκυνηγέτης*, *κυνηγετεῖν*, *μνηστεύειν*. Has excerptor fortasse mutavit.

Jam vero quae Wipprechtius minus accurate tractaverit vocabula expungenda sunt haec: *καταντᾶν*, quod verbum ante Polybium nusquam exstare contendit, exstat autem apud Alexidem comicum (Mein. F. C. G. III p. 503_{13}:) *πᾶς δ' ἀγών | ἐπ' ἐμὲ κατήντα*: totus labor ad me venit. — *λιποθυμεῖν* non primus Theophrastus adhibuit sed multo ante eum Hippocrates (*προγνωστ.* II p. 136 Littré). — *περιελαύνειν* sensu *circumeundi, compellendi* (non *abigendi*, ut ait Wipprechtius p. 43) iam Aristophanes usurpavit: Equ. 290: *Κλ. περιελῶ σ' ἀλαζονείαις* nec non ib. 887: *Κλ. οἴμοι τάλας, οἵοις πιθηκισμοῖς με περιελαύνεις;* — *πυριᾶν* autem vox est iam Hippocrati usitata (cf. Stephani thes. s. v.) quae etiam Atticis minime erat inaudita: Eupolis (Mein. I p. 473) substantivum inde derivatum *τὸ πυριατήριον* adhibet, ipsum verbum Crobylus incertae aetatis comicus (Mein. IV p. 568_1). — *Ὑποτάσσειν* denique verbum ante Polybium apud LXX interpretes saepissime invenitur (activum Ps. XVII 51; medium Ps. LXI 1, Ps. XXXVI 7, passivum I Reg. X 15); sed ne Atticos quidem hoc verbum sprevisse testis est Antiphanes comicus qui scribit (Meineke III p. 149 XLVI): *οὐκ ἔστιν οὐδὲν λεγόμενον μακρῶς, ὅτε | ὁ λέγων ὑποτάττει τοῖς λόγοις τὰ πράγματα.*

Deletis his tredecim vocabulis quae restant septem percen-

---

[1]) Quibus addas *ἀγανακτεῖσθαι* formam pro *ἀγανακτεῖν* usurpatam p. 304_{18}, id quod non nisi apud Lucianum (Somn. c. 4) et eo posteriores reperitur.

seamus: *διαλαμβάνειν* sensu iudicandi adhibitum est iam ab Aristotele, quae hic inserenda sunt verba *διαφημίζειν* et *ἐμβατεύειν* apud poetas ineuntis tertii a. Chr. n. saeculi leguntur, *ἀνομίλητός τινος* = *imperitus* apud scriptorem epistolae Pseudo-Platonicae VII, qui eadem fere aetate fuisse videtur[1]), *ἱστορεῖν* = *narrare* non, ut Wipprechtius credit, apud Polybium primum exstat sed apud Antigonum Carystium, qui exeunte tertio a. Chr. n. saeculo floruit (hist. mir. II, IX, XV, persaepe), apud LXX autem praeter voces *περίχωρος* et *περικαθίζειν* etiam verbum *κατατρέχειν* primum eodem quo apud Palaephatum sensu reperitur, id quod Wipprechtium fugit. Hoc Palaephatus duobus locis p. 271_3 οἱ Κένταυροι οἱ ἐκ Νεφέλης ἡμᾶς κατατρέχοντες πολλὰ κακὰ ἐργάζονται et p. 278_{18} ἀλώπηξ ἡμᾶς κατατρέχων ὑποχωρεῖ sensu persequendi vel vexandi posuit, cum apud Thucydidem, quem sequitur Polybius, vastandi notionem habeat et nisi cum terrae nomine non coniungatur (cf. Thuc. II 94, Polyb. V 17, 3). Cum Palaephato conspirat Levit. XXVI 37: ὑπερόψεται ὁ ἀδελφὸς τὸν ἀδελφὸν ὡσεὶ ἐν πολέμῳ μηδενὸς κατατρέχοντος. Apud Polybium demum exstant voces *μυθογράφος* et *ἀδιάλειπτος*; claudit agmen *ἐμπολή* substantivum, quod primum Dionem Chrysostomum sicut Palaephatum adhibere iam monui.

Ex hoc verborum duodecim conspectu quid colligi potest? Equidem nihil censeo nisi hoc: Palaephatum incredibilium scriptorem neque antiquiorem esse Aristotele neque Aristotelis aequalem, quippe qui haud paucas adsciverit voces, quae in operum Aristoteleorum corpore tam vasto tamque vario non legantur, immo posterioribus a scriptoribus aut inventae esse videantur aut novam in notionem traductae. Sed quantum temporis defluxerit ab Aristotelis aetate ad Palaephati ne aestimari quidem potest neque quisquam, spero, Wipprechtium sibi persuadere patietur, eum Polybio recentiorem habendum esse ideo quod eius dicendi usus persaepe congruat cum eo sermone, qui Polybii aetate in usum venerit (p. 45). Mihi quidem non persuasit. Mitto quod quae Polybiana nuncupat Wipprechtius, ea par-

---

[1]) cf. Susemihlii *Geschichte d. griechischen Litteratur i. d. Alexandrinerzeit*, II p. 581 [19]).

μαντήϊον· καὶ τότε μὲν ἡσύχασε, τῇ δὲ ὑστεραίῃ μεταπεμψάμενος ἤρετο ὅτι ποιοίη, εἰ αὐτῷ χρησθείη ὑπό του τῶν πολιτῶν ἀποθανεῖν · ὁ δὲ Ἰήσων πέμψαι ἂν εἰς Αἶαν αὐτὸν ἐπὶ τὸ κῶας τὸ χρυσόμαλλον ἄξοντα ἂν ἀπὸ Αἰήτεω · ταῦτα δὲ τῷ Ἰήσονι Ἥρη ἐς νόον βάλλει, ὡς ἔλθοι ἡ Μήδεια τῷ Πελίῃ κακόν'.

Jam conferas Palaephati quamlibet fabellam, e. g. XXIV: .... Ἐρυσίχθων ἦν ἀνὴρ Θετταλός· διαφθείρας δὲ τὰ χρήματα πένης ἐγένετο· ἦν δὲ θυγάτηρ αὐτῷ καλὴ καὶ ὡραία, Μήστρα τὸ ὄνομα· ὅστις δὲ εἶδεν αὐτὴν ἐπιθυμητικῶς διέκειτο πρὸς αὐτήν· ἀργυρίῳ μὲν οὖν οἱ τότε ἄνθρωποι οὐκ ἐμνηστεύοντο, ἐδίδοσαν δὲ οἱ μὲν ἵππους, οἱ δὲ βοῦς, τινὲς δὲ πρόβατα ἢ ὅτι ἂν ἐθέλοι ἡ Μήστρα· ἔλεγον δὲ οἱ Θετταλοὶ ὁρῶντες ἀθροιζόμενον τῷ Ἐρυσίχθονι τὸν βίον, ὅτι ἡ Μήστρα ἐγένετο αὐτῷ πάντα καὶ ἵππος καὶ βοῦς καὶ τἆλλα· ἀφ' ὧν ὁ μῦθος προσανεπλάσθη.

Nonne sentis stilum Hecataei et Pherecydis simillimum? Sed cum singulis in rebus Palaephateam elocutionem cum illorum oratione comparare nequeamus propter fragmentorum tenuitatem, Herodotum aliosque eiusdem aetatis scriptores conferamus quippe quos, etsi multa novaverint, tamen plerisque in rebus antiquum scribendi morem secutos esse pateat.

Statim quae tam notabilis est in Herodoto verborum copia ac paene loquacitas eandem nonnumquam in Palaephato offendas. Vide sis prooemii finem (p. 269_4): ἐπελθὼν δὲ καὶ πλείστας χώρας ἐπυνθανόμην ἐκ πρεσβυτέρων ὡς ἀκούοιεν περὶ ἑκάστου αὐτῶν· συγγράφω δὲ ἃ ἐπυθόμην περὶ αὐτῶν καὶ τὰ χωρία αὐτὸς εἶδον ὡς ἔστιν ἕκαστον ἔχον καὶ γέγραφα ταῦτα οὐχ οἷα ἦν λεγόμενα ἀλλ' αὐτὸς ἐπελθὼν καὶ ἱστορήσας.

Huc facit etiam abundantia verborum quam supra monstravi, quae in locutionibus τῷ γένει ἀνὴρ Φοῖνιξ, Γλαῦκος ἀνὴρ ἁλιεύς aliis deprenditur (cf. exempla p. 18 congesta).

Neque desideramus in his fabulis subtiliores quasdam dictionis Herodoteae proprietates, quas cum logographis ei communes fuisse credere licet.

Velut scriptum videmus (p. 276_{11}) ἀφ' ὧν χωρῶν ἐρχόμενοι ἐπολέμουν τοῖς Θηβαίοις καὶ ἦσαν ἀργαλέοι πολεμισταί. Statim senties extrema verba hexametri versus finem efficere. Evolve Homerum: versus permultos invenies desinentes in

verba *θαρσαλέος πολεμιστής* velut *Υ* 78 *Φ* 589 *Χ* 267 vel similia verba velut *θοός περ ἐὼν πολεμιστής* *Ε* 5, 71, *Ο* 585.

Jam tecum reputa quam multis locis Herodotus versuum Homericorum partes in suum sermonem transtulerit, imprimis in orationibus, quam saepe etiam in narratione sententias ita conformaverit, ut dactylicum metrum sonarent.

Ex utroque genere exempla quaedam afferre oportet, cum, quod sciam, adhuc non sint in unum collecta.

Atque Dareus (III 82) sic perorat . . . *χωρὶς δὲ τούτου πατρίους νόμους μὴ λύειν ἔχοντας εὖ· οὐ γὰρ ἄμεινον*, cf. *Δ* 216, Hes. op. et dies 750; Demaratus (VIII 65) quae Dicaeo respondet sic claudit: *περὶ δὲ στρατιῆς τῆσδε θεοῖσι μελήσει* cf. *πόλεμος δ' ἄνδρεσσι μελήσει* *Σ* 492, *Υ* 137; *αὐτὰρ ἐμοὶ τάδε πάντα καὶ ἀθανάτοισι μελήσει* *ρ* 601; Psammenitus quibus Cyrum alloquitur verbis (III, 14) hunc finem imponit: *ἐκ πολλῶν τε καὶ εὐδαιμόνων ἐκπεσὼν εἰς πτωχηίην ἀπῖκται ἐπὶ γήραος οὐδῷ* cf. *Χ* 60; in Artabani vero orationis fine (VII 10 *θ*) duae exstant sententiae quae hexametri versus partem reddant: . . *φέρε, βασιλεὺς μὲν αὐτὸς ἐν ἤθεσι τοῖσι Περσέων μενέτω, ἡμέων δ' ἀμφοτέρων παραβαλλομένων τὰ τέκνα στρατηλάτει αὐτὸς σὺ . . . εἰ δὲ . . . πάντως στράτευμα ἀνάξεις ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα ἀκούσεσθαί τινά φημι τῶν αὐτοῦ τῇδε ὑπολειπομένων*; cf. *Ε* 101 *οὐ δέ ἑ φημί | δήθ' ἀνσχήσεσθαι κρατερὸν βέλος* et multa eiusdem generis exempla apud Ebelingium II, p. 421 b; Syagrus sic exorditur (VII, 159): *ἦ κε μέγ' οἰμώξειε ὁ Πελοπίδης Ἀγαμέμνων* (cf. *Η* 125).

In narratione autem sentimus dactylicum rhythmum his locis: VI 11 *μετὰ δὲ τῶν Ἰώνων συλλεχθέντων ἐς τὴν Λάδην ἐγίνοντο ἀγοραὶ καὶ δή κού σφι καὶ ἄλλοι ἠγορόωντο* ubi ipsa forma *ἠγορόωντο* a dialecto Jonica aliena Homeri imitationem prodit (cf. *Δ* 1 *οἱ δὲ θεοὶ πὰρ Ζηνὶ καθήμενοι ἠγορόωντο*) — I 73 *οἱ παρεόντες δαιτυμόνες τῶν κρεῶν τούτων ἐπάσαντο*, quae verba cum versu Homerico:

αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μῆρ' ἐκάη καὶ σπλάγχν' ἐπάσαντο

compares — I 50 . . . *νηήσας πυρὴν μεγάλην κατέκαιε* — I 58 . . . *ὡς ἐμοὶ καταφαίνεται εἶναι* — III 36 . . . *λάψονται ζφάγρια Κροίσου* — IV 180 *οὐκ ἔχω εἶπαι* — V 52 *ἐπ' ᾧ Σοῦσα πόλις πεπόλισται.*

Jam vero miraberis fortasse cur Palaephatus p. 300_8 vocem *φόρος* sic explicaverit: *ἐδίδουν δὲ φόρον ὃν τινες δασμὸν καλοῦσιν.* Hoc quid sibi velit cognosces si observaveris Herodotum saepius res notissimas compluribus vocabulis significare. Conferas II 36 *Αἰγύπτιοι ἀπ' ὀλυρέων ποιεῦνται σιτία, τὰς ζειὰς μετεξέτεροι καλέουσι* et II 125: *ἐποιήθη ἡ πυραμὶς ἀναβαθμῶν τρόπον, τὰς μετεξέτεροι κρόσσας οἱ δὲ βωμίδας οὐνομάζουσι.* Et memorabile sane est iam Homerum[1]) eadem re mirum quantum delectatum esse, ita ut, velut in aliis rebus sic in hac, hunc magistrum secutus sit Herodotus. Scilicet rhapsodus sui operis fuit Herodotus ut illi Homerici, atque ut illi cantantes ita historicus recitans per varias Graeciae partes migrabat variisque auribus suas res accommodabat.

Nec vero in sola elocutione posita est Palaephati cum antiquis rerum scriptoribus, imprimis Hecataeo cognatio, verum etiam in sententiis. Nam cum in prooemio plerosque homines aut stultitia aut nimis fastidioso acumine adductos de fabularum mirabilibus falso iudicare contendit, se ipsum autem verum comperisse ex incolis terrarum earum, ubi quidque factum sit (*γέγραφα ταῦτα . . . . αὐτὸς ἐπελθὼν καὶ ἱστορήσας*): nonne exprimit Hecataei genealogiarum prooemium illud, quo rerum veritatem sibi compertam (a barbaris scilicet velut Aegyptiis) Graecorum variis ridiculisque commentis opponit: *Ἑκαταῖος Μιλήσιος ὧδε μυθεῖται· τάδε γράφω ὥς μοι ἀληθέα δοκέει εἶναι· οἱ γὰρ Ἑλλήνων λόγοι πολλοί τε καὶ γελοῖοι, ὡς ἐμοὶ φαίνονται, εἰσίν.*

Rerum autem scriptoris[2]) esse *ἱστορεῖν* id est *φιλοσοφέοντα γῆν πολλὴν θεωρίης εἵνεκεν ἐπέρχεσθαι*, ut Herodoti verbis utar (I 30), adeo tum constabat inter omnes, ut scriptores etiam ea

---

[1]) Saepissime enim quod alicuius rei nomen apud deos, quod apud homines valeat indicat nec desunt loci, ubi complures denominationes hominibus usitatas afferat, velut *Ω* 315:

αὐτίκα δ' αἰετὸν ἧκε τελειότατον πετεηνῶν
μόρφνον θηρητῆρ' ὃν καὶ περκνὸν καλέουσιν.

[2]) nec non philosophi. Cf. Democriti verba (Mull. F. Ph. G. I p. 376; R. P. 145 A.) *ἐγὼ δὲ τῶν κατ' ἐμεωυτὸν ἀνθρώπων γῆν πλείστην ἐπεπλανησάμην ἱστορέων τὰ μήκιστα καὶ ἀέρας τε καὶ γέας πλείστας εἶδον καὶ λογίων ἀνθρώπων πλείστων ἐσήκουσα καὶ γραμμέων ξυνθέσιος μετὰ ἀποδέξιος οὐδείς κώ με παρήλλαξε, οὐδ' οἱ Αἰγυπτίων καλεόμενοι Ἁρπεδονάπται· σὺν τοῖσδ' ἐπὶ πᾶσι ἐπ' ἔτεα πέντε ἐπὶ ξείνης ἐγενήθην.*

quae non nisi ex libris compererant, se ipsos vidisse aut audivisse simularent[1]).

Jam quaeritur, qua ratione illa quae Wipprechtius monstravit posterioris aetatis in libello *περὶ ἀπίστων* indicia cum his antiquioris stili vestigiis conciliari possint. Una, ni fallor, patet via: Palaephatus elocutionem logographorum eorumque antiquissimorum consulto imitatus est. Num etiam dialecto Jonica usus sit, cum in epitoma eius vestigia exstent nulla, in dubio relinquendum est.

Poëticarum autem vocum usus indidem fluxerit.

---

[1]) cf. H. Dielesium in Hermae vol. XXII p. 411 sqq.

2.

Aetatem operis *περὶ ἀπίστων* quantum fieri potuit ex indiciis eis quae epitoma suppeditavit, enucleavimus. Jam ubinam scriptum sit num forte inde elicere possimus periculum faciamus.

Praeivit Ziehenus, qui in commentatione admodum brevi et, ut videbimus, paulo festinantius confecta[1]), quae est de pragmatica apud veteres fabularum interpretatione, Palaephatum illum Asiaticum fuisse confirmat. Sed quae ad hoc probandum affert, in his mire profecto errat. Nam quod ex f. IX Palaephatum saxum illud Sipyli montis, in quod Niobam mutatam esse ferebant, ipsum vidisse concludit, male intellexisse videtur fabulae finem, quem Westermannus sic edidit: *ἔλεγον οὖν οἱ παριόντες ʽΝιόβη λιθίνη ἕστηκεν ἐπὶ τῷ τύμβῳ᾽ καὶ ἡμεῖς ἐθεασάμεθα αὐτήν, οἷα καὶ λέγεται*, cum pleniores codices exhibeant *ὥσπερ νῦν λέγεται ʽπαρὰ τὸν χαλκοῦν ʽΗρακλέα ἐκαθήμην καὶ παρὰ τὸν Πάριον ʽΕρμῆν*[2]) *ὤν᾽* (fortasse *ἦν* scribendum est). Marsyam autem Phrygiae flumen se nosse non Palaephatus prae se fert, sed sophista ille qui f. XLVIII narratiunculam ut vicinas (XLVII—LI) conscripsit. Denique f. XXV Palaephatum cum Geryonem ab Oceano transferat ad Ponti oras, fabulam reddere, quae Ponti accolis Graecis accepta fuerit, non debebat inde sumere, quod in nummis Perinthi (sive Heracleae) imperatorum aetate editis Hercules cum Geryonis bobus conspicitur. Nam illis quidem temporibus ut Perinthios ita Heracleotas Ponticos in nummis multas repraesentandas curasse

---

[1]) Berichte des Frankfurter freien Deutschen Hochstifts 1890 p. 438.

[2]) Ne quis requirat *Ἑρμῆν Παρίου λίθου*, affero Clearchi Solensis verba ab Athenaeo (XIII 605e) servata . . . . . *τοῦ ἐν Σάμῳ Παρίου ἀγάλματος ἐρασθείς*.

res ab Hercule urbium suarum patrono gestas iam C. O. Muellerus observavit.[1])

Jam ipsi quid proficere possimus periclitemur.

Atque Palaephatum non in Graecia sed aut in Asia aut in Africa degisse fortasse quis concluserit ex his verbis: (p. 271_{13}) *οὐ γὰρ δυνατὸν κύνα καὶ πίθηκον λύκον τε καὶ ὕαιναν ἀλλήλοις συμμιγῆναι οὐδὲ βούβαλον ἐλάφῳ.*

Hyaenae enim gignuntur non nisi in Africa et Asia orientali[2]), simiae in Graecia non nisi ludicri causa alebantur, bubali sive ex antiloparum quae nunc dicuntur sive e boum ferorum genere fuerunt[3]), a Graecia alieni sunt. Sed hic doctrinam scriptoris fortasse latere monstravit Dielesius magister allato Timothei loco hoc: (Supplem. Aristotelicum I 1 ed. Lambros p. 95_6) *πλεῖστα δὲ καὶ ἄλλα τῶν ζῴων ἀλλοτρίους ἔρωτας καὶ μίξεις φιλεῖ· αὐτίκα, φησί, παρδάλεσι καὶ κυσίν, ὃ καὶ ξένον ἀκούειν, λέοντας οἶδα συγγενομένους, λύκους δὲ ὑαίναις· βουβαλίδας δὲ ἵπποις τε καὶ βουσὶ τοῖς ἀγρίοις· ἵππων δὲ τίγρητες ἐς ἔρωτα ἦλθον, κυνῶν δὲ ἀλώπεκες* e. q. s.

Palaephatum vides haec quae Timotheus affert mirabilia haud magis credere quam fabularum.

Sed Palaephatus se peritum praestat fabulae cuiusdam recon-

---

[1]) *Handbuch der Archaeologie der Kunst* § 410, 4 ad fin. conferas nummos Perinthiorum a Mionneto descriptos (*Description des médailles* I 404):
s. no. 274: (Septimii Sev.) equi Diomedis.
s. no, 307: (Getae) aper Erymanthius.
s. no. 326: (Gordiani) aves Stymphalides.
s. no. 327: (—) cerva Cerynitis.
s. no. 328: (—) mala Hesperidum.
Nummos Heracleotarum Ponticorum in musei Britannici catalogo (*Pontus, Paphlag.* etc.) p. 146 invenies qui huc spectent hos:
s. no. 52: (Macrini) boves Geryonis.
s. no. 51: (—) taurus Creticus.
s. no. 54: (Maximini) aper Erymanthius.
Imhoofius quem laudat Drexlerus apud Roscherum s. v. Geryones accuratiora non exhibet (Wiener Numismatische Zeitschrift XVI (1884), p. 235).

[2]) cf. Aubert et Wimmer: *Die Tierkunde des Aristoteles* Lipsiae 1868, I p. 75, ubi nunc hyaenas reperiri aiunt in Asia minore, in Arabia, in Perside, praeterea in Africa.

[3]) cf. Sundevall: *Die Tierarten d. Arist.* Stockholm 1863 p. 64, et Aubert et Wimmer l. l. p. 64.

ditae, quae Cois accepta fuisse videtur cuius certum vestigium apud eum solum remansit.

Τὸ χρυσοῦν κῴδιον enim f. XXXI eum interpretari ut auream imaginem feminae, cui Cos nomen fuerit, quamvis haec narratio male sit habita in libris, satis tamen constat. Κῴδιον est ὑποκοριστικὸν nominis Κῶς, velut καλῴδιον vocis κάλως, Σωκρατίδιον nominis Σωκράτης. Hanc mulierem Pelopis matrem, filiam Solis fuisse unici testes sunt codd. DM, quos in hoc toto loco optimam servasse lectionem recte vidit Festa (p. 15). Qui ipse sibi non constat cum tradita verba: ἡ μήτηρ Πέλοπος θυγάτηρ Ἡλίου· ὄνομα δ' ἦν αὐτῇ Κῶς sic refingit: ἡ μήτηρ αὐτοῦ (sc. Κριοῦ) Μέροπος θυγάτηρ, ᾗ ὄνομα ἦν Κῶς. Nam quid fiet verbis θυγάτηρ Ἡλίου? Num eicit Festa ut interpolata? Cur autem Crii illam matrem fuisse Palaephatus narraverit non video; certe quam ille affert causam: ut Crii esse illud κῴδιον dici potuerit, nihili est: non minus erat illius, si ab ea donatum erat. Neque ostendere studuerit Palaephatus qui factum sit, ut Cos illa, quae certe extra insulam eiusdem nominis locum in fabulis vix habuit, in Thessaliam veniret. Haud secus enim Sphinga uxorem Cadmi, ut bellicosum eius animum significet, γυναῖκα Ἀμαζονίδα et Actaeonem, ut φιλοκύνηγον, Ἀρκάδα dicit nec curat, qua ratione cum vulgaribus fabulis haec conciliari possint. (p. 277_{10} — p. 273_{15}). Recte fortasse Pelopem in Meropem mutavit Festa, quoniam Cos vulgari in fabula (cf. Steph. Byz. s. v. Κῶς) Meropis filia est. Solis vero nomen mordicus tenendum censeo, quippe qui Coorum in religionibus et fabulis celeber fuisse videatur. Nam etiamsi minus certum sit quod nuper[1]) Hicksius speciose coniectavit, ipsum Meropem Solem esse, tamen alia illam in rem argumenta adduci possunt. Velut Clymene in Euripidea Phaethonte Solis uxor est et Phaethontis mater, filia autem Meropis regis, qui sane a Co insula translatus est ad Aethiopiae oras solis ortui subiectas, Rhodii autem auctore Hellanico (F. h. G. I p. 51 fr. 107) Solis filiorum in numero habuerunt Candalum, quem Zeno Rhodius (ap. Diodorum V 56, 57) Con insulam incoluisse tradit. Hunc ob nomen barbarum heroa fuisse indi-

---

[1]) Paton and Hicks: *Inscriptions of Cos.* Oxford 1891, p. 301.

genarum, Meropem autem dictum esse a Graecis insulam occupantibus, velut eius fratrem Tenagen Phaethontem, probabiliter statuit Wilamowitzius (in Hermae vol. XVIII 429 sqq.). Itaque cum soleant apud Graecos tales genealogiae variare, veri simillimum est exstitisse apud Coos fabulam, qua Cos, a qua insula nomen traxit, Solis filia, Co filius Merops perhiberetur, a quo incolae *Μέροπες* dicti sunt[1]).

Sed obverterit quispiam hanc reconditae Coorum fabulae notitiam haud adeo miram esse in eo scriptore quem, cum quinque libros fabulis explicandis impenderit, optime versatum esse in fabulis consentaneum sit. Quid quod etiam earum rerum scientia insignis est, quae ad Asiae minoris regionumque vicinarum descriptionem pertineant? Cuius scientiae specimen praecipuum exstat in historia, in quam Chimaerae fabulam depravavit. Haec scribit (p. 291_{11} sqq.): *βασιλεὺς δὲ Ἀμισώδαρος ᾤκει ἐπὶ τῷ Ξάνθῳ ποταμῷ· ὄρος δὲ ἦν ἐγγὺς ὑψηλόν, ἐξ οὗ ἡ Τελμισσὶς ὕλη προκέχυται· πρὸς ὃ δὴ ὄρος προσβάσεις εἰσὶ δύο· ἣ μὲν ἔμπροσθεν ἐκ πόλεως τῆς Ξανθίων ἣ δὲ ὄπισθεν ἐκ τῆς Καρίας*[2]), *τὰ δ' ἄλλα κρημνοὶ ὑψηλοί* (sic recte ODM, *κρημνοί* vulgo, cett. *κρημνός*)*· ἐν δὲ τῷ μέσῳ αὐτῶν χάσμα ἐστὶ τῆς γῆς μέγα, ἐξ οὗ δὴ καὶ πῦρ ἀναδίδοται· τούτῳ δὲ τῷ ὄρει ὄνομά ἐστιν Χίμαιρα· τότε δὲ ἦν, ὡς λέγουσιν οἱ προσχώριοι, κατὰ μὲν τὴν ἔμπροσθεν πρόσβασιν οἰκῶν λέων, κατὰ δὲ τὴν ὄπισθεν δράκων, οἳ δὴ καὶ ἐσίνοντο τοὺς νομέας.* Ex his paene nihil e Palaephati ingenio prodiit: mons re vera situs est inter Telmissum Cariae oppidulum et Xanthum flumen et re vera iter a Xanthiorum oppido hoc monte superato in Cariam ducit nec deest illic vorago, cui Chimaerae nomen erat ut docet Strabo XIV 665, qui tamen inde ignem editum esse non tradit, id quod re vera fiebat alibi Lyciae[3]). Iter illud voragine hac vel alia

---

[1]) Toepfferus, qui de Co a Cois culta nuper pauca disseruit (Athenische Mitteilungen XVI p. 425[1]), Palaephati locum omisit.

[2]) Sic scribendum puto pro traditis verbis: *πρὸς ὃ δὴ ὄρος προσβάσεις εἰσὶ δύο μὲν ἔμπροσθεν ἐκ π. τ. Ξ... τρίτη δὲ ὄπισθεν ἐκ τ. Κ.;* postea enim non nisi duo ascensus commemorantur et tota interpretatio in eo vertitur, quod Chimaera mons haud aliter atque monstrum illud quasi caput habet — viam anteriorem, et dorsum, — hiatum ignivomum, et caudam — viam posteriorem. Error facillimus erat postquam *ἡ* inter *δύο* et *μέν* interciderat.

[3]) cf. Ps. Scyl. 100 et Plin. N. H. V 28.

interclusum fuisse non pro vero vendiderim: hoc ut fabulam explicet effinxerit Palaephatus. Sed Lyciorum nisi egregie fallor etiam mores bene cognitos habuit. Etenim quo loco Amazonas non feminas fuisse ostendit sed gentem barbaram bellicosissimam, quae tamen muliebri habitu ac veste usa sit, haec dicit (p. 298_6 sqq.): *ἐφόρουν δὲ χιτῶνας ποδήρεις, ὥσπερ αἱ Θρῇσσαι καὶ τὴν κόμην ἀνεδοῦντο μίτραις, τοὺς δὲ πώγωνας ἐξυρῶντο ὡς καὶ νῦν ΠΑΤΗΡΙΑΤΑΙ ΠΑΡΑΞΙΘΟΟΙ.* Extrema verba sanequam corrupta quae Westermannus non norat, addidit Froehnerus[1]) e codice Parisino 854 (apud Vitellium n, cf. p. 251), quocum conspirat m, H exhibet *οἱ πεστηριάται παρεξίθοοι.* Atque quam Froehnerus dubitanter profert coniecturam, in his litteris delitescere nomen Patarensium Xanthi fluvii accolarum (*Παταρεῖς οἱ παρὰ Ξάνθον*), stabiliri arbitror eo quod Lycios caesariem longam alere consuesse constat e Pseudo-Aristotelis Oecon. II p. 1348a 29: *τούς τε Λυκίους ὁρῶν* (sc. Condalus Maussoli praefectus) *ἀγαπῶντας τὸ τρίχωμα φορεῖν ἔφη γράμματα ἥκειν παρὰ βασιλέως κόμας ἀποστεῖλαι εἰς προκόμια.*

In iisdem illis verbis Thracum tunicas talares commemorat Palaephatus et omnino eum orae Asiae oppositae peritum esse docet locus fabulae XX et ipse male habitus in codicibus. Ibi fictum oppidum *Ἑκατογχειρία* situm esse narrat in Macedoniae ea parte quae Orestias dicatur, quae re vera Olympo vicina est. Atque in libris OAT sic scriptum est: *τῇ πόλει ὄνομα ἦν Ἑκατογχειρία ἐν ᾗ ᾤκουν· ἦν δὲ Ἀχαρνίας τῆς νῦν Ὀρεστιάδος καλουμένης;* in DM: *τῆς Ἀχρονίας;* Westermannus inepte sane dedit: *ἦν δὲ τῆς Μακεδονίας τῆς ν. Ο. κ.* Quodnam hic lateat nomen equidem ignoro. Nam quod notum habeo Orestiadis prius nomen *Μακετία* (cf. Steph. Byz. s. v. *Μακεδονία*), nimium distat a traditis litteris.

Jam ad Pontum prope accessimus, ad cuius oram Geryonis fabulam transtulit Palaephatus. Atque Graecos Ponti accolas Herculem Geryonis gregem ex his regionibus abducentem finxisse argumentis, quantum scio, probatur nullis. Ad Pontum eum in illa expeditione pervenisse, hoc sane fabulis ferebant, ut testatur

[1]) Philologi Supplem. V p. 35.

Herodotus IV 8, ubi Scythicae gentis originem secundum memoriam Graecorum Pontum incolentium enarrat. Hoc ne miremur, Apollodori conferamus narrationem (II 5 10 12), qua fingitur grege sub Thraciis montibus dissipato Herculem consecutum non nisi partem boum collectam ad Hellespontum duxisse, unde per Thraciam et Macedoniam domum abegisse. In hac narratione praeterea memoratu dignum est quod origo ferorum Paeoniae taurorum, de quibus est Aristoteles (H. A. IX 45, II 1, 16), ab eis repetitur bobus, qui Herculem effugerint, cui fabulae simillima ea est qua celebrabantur boves Chaoniae praeter ceteros magni ac decori (cf. Aristoteles ib. III 21). Hos ex iis oriundos esse praedicabant, quos vel Larinus quidam Herculi per Epirum proficiscenti furatus esset vel Hercules ipse Jovi Dodonaeo vovisset[1]). Inde profectus — id' quod memorabile videtur — Hecataeus, parens ille pragmaticae fabularum explicationis, Erythiam insulam et Geryonem ab Hispania, ubi nullum eorum reppererat vestigium, huc transtulit (fr. 349, quocum coniungendus est locus in Pseudo-Scylacem 26 interpolatus, qui ex Hecataeo sine dubio fluxit: *ἐν τῇ Κεστρίδι χώρᾳ εἶναι λέγεται πεδίον ὄνομα Ἐρύθεια · ἐνταῦθα ὁ Γηρυόνης λέγεται οἰκεῖν* (sic scribas cum Heynio observv. ad Apoll. p. 166 pro *ἥκειν*) *καὶ τοὺς βοῦς βουκολεῖν*).

Nec aliter fecerit Palaephatus. Namque etiam Scytharum boves a Geryonis pecore oriundos esse fabula vulgatum fuisse illis exemplis veri simile fit. Certum autem est, quam describit boum formam, illam re vera illic exstitisse: (p. 288_6 sqq.) *ἦσαν γὰρ τὸ μὲν μέγεθος μικραί, ἀπὸ δὲ κεφαλῆς ἐπὶ τὴν ὀσφὺν μακραὶ καὶ σιμαί, κέρατα οὐκ ἔχουσαι, ὀστᾶ δὲ μακρὰ καὶ πλατέα.* Haec vera esse ipsa descriptionis diligentia testatur nec tam deforme pecus et quod nullius avaritiam potuerit excitare eum finxisse veri simile est. Quid quod boves Scythicos cornibus caruisse auctores sunt Herodotus (IV 29) et Hippocrates (de aër. aqu. loc. p. 291 § 83 Coraes)? Norat certe Palaephatus et Scytharum pecus et fabulas Graecorum illic incolentium.

His omnibus rebus perlustratis minus fortasse miraberis, si

---

[1]) illud Lycus Rheginus, hoc Proxenus tradidit. cf. Muelleri F. H. G. II p. 370.

apud Palaephatum etiam dialecti, qua Asiaticorum Graecorum pars utebatur, vestigium deprendes.

Paulo enim iocosius effingens nomina Harpyiarum, filiarum Phinei regis, quae lascivia ac luxuria eius rem exhauserint, alteri *Ἐρασίαν* nomen indidit, quod aperte derivandum a verbo *ἐρᾶν* (cf. *Ἔρασον* Triphyli filium Paus. X 9, 5), alteri *Ἁρπυρίαν*. Hanc scripturam etiam a Tzetza (ad Lyc. 166) testatam rectam esse neque, quod cui forte in mentem venerit, mutandum in *Ἅρπυιαν* inde elucet, quod a civibus postea ambae Harpyiae dicuntur[1]). *Ἁρπυρία* autem nomen repeti debet a substantivo *ἅρπυς*, quod Aeolensibus proprium fuisse testis est Hesychius s. v. *ἅρπυν· ἔρωτα· Αἰολεῖς.* Praeterea exstat non nisi in versu Parthenii quem Etymol. M. (148_{33}) servavit: *ἀμφοτέροις ἐπιβὰς ἅρπυς ἐλήϊσατο* (cf. O. Hofmann: *Die Griechischen Dialekte* II p. 231). Ab hoc substantivo adiectivum *ἁρπυρός* fingitur velut ab *οἰζύς*: *οἰζυρός*, ab *ἰσχύς*: *ἰσχυρός*; inde autem *Ἁρπυρία* nascitur, velut *Κλείνιος* a nomine *Κλεῖνος*, *Καρτερία* a nomine *Καρτερός*, *Ἐρασία* ab *Ἔρασος*.

Haec quae attuli omnia potuisse quidem scribi ab homine docto vel in Graecia vel in Africa degente minime ego infitiabor. Tamen reputanti mihi, quam multa in paucis epitomae capitibus exstent indicia, quibus Palaephatum ipsam Asiam minorem bene nosse comprobatur, veri simile videtur, eum aut inde oriundum esse aut longum tempus ibi commoratum.

Sed mittamus tandem operis *περὶ ἀπίστων* epitomam et quae veteres de eius scriptore tradant, imprimis Suidas, inquiramus.

---

[1]) Gyrum sane hic describit Palaephati interpretatio. Ut enim cives filias regis Harpyias dicere possint, bestiarum qualiumcunque quos sic appellaverint, notio eis inesse debet. Hanc unde sumpserint non indicat haud secus atque in Scylla et Pegaso aliisque explicandis qua ratione homines eorum monstrorum, quae in navibus pingenda curaverint, speciem mente conceperint non curat.

III.

De Suidana quae est de variis Palaephatis memoria.

Suidas praeter vatem priscum Atheniensem tres affert Palaephatos hosce:

I. *Παλαίφατος Πάριος ἢ Πριηνεύς, γεγονὼς κατὰ Ἀρταξέρξην· ἀπίστων βιβλία ε'· τινὲς δὲ ταῦτα εἰς τὸν Ἀθηναῖον ἀναφέρουσιν· πλὴν καὶ οὗτος ἔγραψε.*

II. *Παλαίφατος Ἀβυδηνὸς ἱστορικός· Κυπριακά, Δηλιακά, Ἀττικά, Ἀραβικά· γέγονε δὲ ἐπὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος, παιδικὰ δὲ Ἀριστοτέλους τοῦ φιλοσόφου, ὡς Φίλων ἐν τῷ ε' στοιχείῳ τοῦ περὶ παραδόξου ἱστορίας βιβλίου α' καὶ Θεόδωρος ὁ Ἰλιεὺς ἐν β' Τρωικῶν.*

III. *Παλαίφατος Αἰγύπτιος [ἢ Ἀθηναῖος]*[1]) *γραμματικός· Αἰγυπτιακὴν θεολογίαν, μυθικῶν βιβλίον α', λύσεις τῶν μυθικῶς εἰρημένων, ὑποθέσεις εἰς Σιμωνίδην, Τρωικά, ἅ τινες εἰς τὸν Ἀθηναῖον, τινὲς δὲ εἰς τὸν Πάριον ἀνήνεγκαν· ἔγραψε καὶ ἱστορίαν ἰδίαν.*

De his quae Wipprechtius disputavit (c. VI p. 53—67), eis fere omnibus subscribo, imprimis autem recte mihi fecisse videtur, quod coniecturas audaciores Gutschmidii et qui eum secutus est Nicolai Festae reprobavit, qui eorum, quae tres in vitas digesta exhibet Suidas, maximam partem ad unum eundemque hominem referendam esse persuadere nobis student (p. 60 sqq.).

Docet igitur opus *περὶ ἀπίστων* Diadochorum aetate conscriptum cum a Suida et Atheniensi vati et Pario vel Prienensi

---

[1]) hoc recte Wipprechtium (p. 60) ut ex vatis illius vita huc intrusum uncis inclusisse puto.

Artaxerxis aequali[1]) et Aegyptio grammatico tribuatur, profectum esse debere ab Aegyptio, quem non ante Diadochorum aetatem fuisse pro certo possit haberi.

Et feliciter sane studiorum Simonideorum in libello περὶ ἀπίστων vestigium indagavit (p. 65), quo summopere hoc comprobatur, cum illius inter opera ὑποθέσεις εἰς Σιμωνίδην appareant. Hydrae enim Lernaeae quot capita fuerint, veteres poëtae et scriptores mirum quantum dissentiunt, consentiunt Simonides (cf. Bergk P. L. G.⁴ III p. 525, fr. 203) et Palaephatus (f. XXXIX) quinquaginta capita exhibentes, quem numerum praeter illos nemo, quantum scimus, tradidit. Indidem autem concidit suspicio quam iam dudum motam Ziehenus (l. l.) et Susemihlius[2]) nuper renovarunt, quibus veri simile visum est librorum de incredibilibus scriptorem nomen Palaephati mentitum esse, quo libro suo quasi priscae sapientiae fidem arrogaret. Grammaticum enim opus, quale fuisse necesse est illam hypotheseon scripturam quis tali nomine exornaverit?

Ceterum ne quis uni illi vestigio a Wipprechtio monstrato fidem deneget, addam aliud quod exstare mihi videtur in f. XXXI. In hac mirum te fortasse habebit, quod p. 293_{12} dicit: ἤδη δέ τινες ἵνα τὸν γέλωτα ἐκφύγωσι, χρυσοῦν φασιν εἶναι τὸ δέρμα τουτί (arietis scilicet, quo Phrixus in Colchidem vectus est). Nam ut Pindarus (Pyth. IV 68) et Tragici (cf. Eurip. Medeae v. 5), ita Alexandrini aevi et poetae (v. Theocriti XIII 16; Apollonii Rh. Arg. II 1144, IV 176) et rerum scriptores (cf. Timaei fr. 13, F. H. G. I p. 195) arietis illius vellus aureum fuisse uno ore testantur. Ut igitur plerorumque consensum non sine irrisione notat, ita nititur ipse manifesto Simonidis memoria, quae propterea arrisit, quia quod ille cecinit, vellus naturalem colorem tinctura purpurae marinae amisisse, ex eadem officina Euhemeristarum profectum esse videbatur. Exstat Simonidis (cf. P. L. G. l. l. p. 396 fr. 21) memoria apud schol. in Apoll.

---

[1]) hunc Mnemonem esse (405—362) Wipprechtius (p. 61) pro certo vendit: sine iusta causa. Neque enim inde quod semel hoc Suidas utitur ad aetatem scriptoris (Anaximandri Milesii) definiendum (nam Ctesias, quem eundem regem sanasse tradit huc non facit), Artaxerxe I Longimano (465—425) non utitur, etiam hoc loco non hunc sed illum respici recte potest concludi.

[2]) *Geschichte der griechischen Litteratur in der Alexandrinerzeit* II p. 54.

Rh. Arg. IV 177 . . . *οἱ πολλοὶ δὲ χρυσοῦν τὸ δέρας εἰρήκασιν, οἷς Ἀπολλώνιος ἠκολούθησεν. ὁ δὲ Σιμωνίδης ποτὲ μὲν λευκὸν ποτὲ δὲ πορφυροῦν*, et schol. in Eurip. Med. 5: *πάγχρυσον δέρας· τὸ δέρμα τοῦτο οἱ μὲν ὁλόχρυσον εἶναί φασιν οἱ δὲ πορφυροῦν· καὶ Σιμωνίδης δὲ ἐν τῷ εἰς τὸν Ποσειδῶνα ὕμνῳ ἀπὸ τῶν ἐν τῇ θαλάσσῃ πορφυρῶν κεχρῶσθαι αὐτὸ λέγει* (quod idem tradidit Acusilaus fr. 9 F. H. G. I p. 101).

Ceterum monere vix necesse est quominus opus de incredibilibus ad Aegyptium referamus, non obstare quod eius scriptorem aut oriundum esse ex Asia minore aut longum tempus ibi moratum veri simile nobis visum est. In Aegyptum enim tunc undique Graeciae homines doctos indoctos confluxisse satis superque notum est. Contra favet hoc magnopere Wipprechtii coniecturae, qua contendit Troica, Suida auctore haud secus ac libri incredibilium et Atheniensi et Pario vel Prienensi et Aegyptio tributa non a Pario — Atheniensis nimirum omnino procul habendus est — sed ab Aegyptio profecta esse. Quae coniectura eo praecipue nititur, quod Demetrius Scepsius (apud Strabonem XII 550), ubi quas maxime probet scriptorum de Homeri Alizonibus (*B* 856 sq.) opiniones enumerat: Hecataei Milesii, Menecratis Elaïtae, Palaephati, secundum temporum ordinem progredi videtur, ita ut Palaephatus ille, ut aequalis Menecratis aut eo recentior, non idem esse possit cum Artaxerxis illo aequali. Menecrates enim ineunte III. a. Chr. n. s. fuit.

Hoc etiam certius esset, si staret quod (p. 52) sumit: Palaephatum illa in quaestione Ephori secutum esse coniecturam audacissimam, qui Homeri Alizonas in Amazonas, Alyben oppidum in Alopen mutanda esse duxerat. Verum tamen falsus est Wipprechtius. Namque ut Palaephato ea de re convenit et cum Hecataeo Menecrateque et cum Demetrio, quod gentem illam Homericam in Phrygia ad Hellespontum sitam fuisse et tunc etiam esse affirmat, ita etiam simile nomen ei indidisse putandus est. Non Amazonas igitur dixit sed aut Alizonas ut Menecrates aut Alazonas ut Hecataeus et Demetrius; nec minus incertum est, utrum *Ἀλόπην* oppidum appellaverit an *Ἀλόβην* an *Ἀλύβην*. Codicum enim memoria, quae *Ἀμάζονας* exhibet et *Ἀλόπην* fallacior est, quam qua fidere possimus. Velut p. 550 c. 21 init. pro *Ἀλαζῶνας* codd. praebent *Ἀλιζῶνας*.

Jam audi quidnam hac in quaestione auxilii nobis veniat ab illa de patria Palaephati Aegyptii studiisque disputatione.

Atque primum quidem repellit dubitationem, quae inde nasci possit, quod Troica scribere quasi propria quaedam Asiaticorum scriptorum provincia fuisse videtur, quandoquidem e sex Troicorum scriptoribus quos Muellerus in fragmentis historicorum attulit, quinque ex Asia minore oriundi sunt (Demetrius Scepsius, Dionysius Milesius, Hegesianax Gergithius, Hellanicus Lesbius, Metrodorus Chius, Theodorus Iliensis) sextus Abas unde fuerit nescitur.

Sed est quod pondus addat illi coniecturae haud spernendum. Neque enim solum pari geographiae studio uterque Palaephatus, et Troicorum scriptor et incredibilium insignis est, id quod Wipprechtius brevibus indicavit (p. 53), ex eis quae de Asiae eius notitia attulimus et de Hannonis periplo ab eo inspecto magis elucet, sed etiam Ponti oras uterque accuratius notas habet, id quod mero casu factum esse neminem spero crediturum esse.

Inter fragmenta enim Troicorum plenius quam a Muellero (F. H. G. II 338 sq.) a Wipprechtio collecta (p. 50 sq.)[1]) duo (1 et 2) ad gentes circum Colchida incolentes spectant. Atque in altero minus perspicuo nomen Charimatarum gentis occurrit, cuius non nisi apud Hellanicum mentio fit, alterum adeo reconditam memoriam prodit, ut vel Muellerum in suspicionem adduxerit, num hic recte omnia scripta sint; Harpocratio enim s. v. *Μακροκέφαλοι*, *Παλαίφατος* ait *ἐν ζ′ Τρωικῶν ἐν τῇ Λιβύῃ φησὶν ὑπεράνω Κόλχων οἰκεῖν τοὺς Μακροκεφάλους*, ubi etiam Wipprechtius voci *Λιβύῃ* crucem appinxit. Libyae enim nomen alias non exstat. Sed iam Julius Pollux (II 43) idem scriptum vidit cum inter voces cum *κεφαλή* compositas affert: *μακροκέφαλος ὡς τὸ περὶ Λιβύην ἔθνος*, Libystinorum autem gentem non solus quem Muellerus adducit Diophantus geographus fuisse prope Colchidem testatur, Steph. Byz. s. v. *Λιβυστῖνοι· ἔθνος παρακείμενον Κόλχοις ὡς*

---

[1]) ex his fr. 8 expungendum puto: schol. ad Eurip. Medeam vs. 830: *περὶ δὲ τοῦ τὰς Μούσας ἐν τῇ Ἀττικῇ ἱδρῦσθαι ἀρκεῖ τὰ Παλαιφάτου.* Hic mihi non Palaephati hac de re memoria indicari videtur sed fabulae, quae de Atheniensi Palaephato Mercurii et Thaliae Musae filio ferebatur, quam ex eodem fortasse commentario adducit schol. ad Rhes. vs. 347.

Διόφαντος ἐν Ποντικοῖς, sed eius fidem defendunt et Lycophro, qui in Cassandra vs. 1312 Jasonem pervenisse perhibet *εἰς Κυταίαν* (quae Colchidis est urbs) *τὴν Λιβυστίνην*, et Megasthenes qui auctore Abydeno tradidit *Ναβουχοδονόσορ Ἡρακλέος ἀλκιμώτερον γεγονότα ἐπί τε Λιβύην καὶ Ἰβηρίην στρατεῦσαι· ταύτας δὲ χειρωσάμενον ἀποδασμὸν αὐτέων εἰς τὰ δεξιὰ τοῦ Πόντου κατοικίσαι* (F. H. G. II fr. 22 p. 417). Iberia in Caucaso monte sita cum sat nota sit, non est cur de Libya dubitemus.

Troicis sic Palaephato Aegyptio vindicatis iam eius operum indicem a Suida traditum collustremus. Scripsit ergo *Αἰγυπτιακὴν θεολογίαν, μυθικῶν βιβλίον α', λύσεις τῶν μυθικῶς εἰρημένων, ὑποθέσεις εἰς Σιμωνίδην, Τρωικά, ἰδίαν ἱστορίαν*. Hunc vel inde commendari quod tituli secundum litterarum ordinem digesti sunt — extremum enim Suidam vel Hesychium denuo quem excerpserunt indice perlecto addidisse patet — iam Daubius animadvertit (Annal. philol. suppl. XI p. 568).

Accedit quod omnium librorum argumentum ad fabulas pertinet. Nam ut ad hypotheses illas conficiendas quae in Simonide exstabant fabulae eum adduxisse videntur, ita eiusdem generis fuisse *ἰδίαν ἱστορίαν*, quam quale fuerit opus ne conici quidem posse Wipprechtio videbatur veri simillimum est. Neque enim aliud quicquam significaverit inscriptio *ἰδία ἱστορία* atque quod *ξένη* vel *παράδοξος ἱστορία*, qualis scriptio in colligendis seu historiae naturalis seu fabularum incredibilibus versabatur. Velut quae Antigonus Carystius prioris generis collegit, ea *ἴδια* saepissime vocat (e. g. VII, XV, XIX, LXXXV, LXXXIX); fabulae autem miram formam sic dicit Plutarchus in Thesei vita c. 34: *ἴδιον δέ τινα καὶ παρηλλαγμένον ὅλως λόγον ὁ Ἴστρος ἐν τῇ τρισκαιδεκάτῃ τῶν Ἀττικῶν ἀναφέρει περὶ Αἴθρας*. Saepissime autem haec fabularum *ἰδιότης* inde nata est, quod quis eam pragmatice interpretatus est, velut Didymus in *ξένῃ* illa *ἱστορίᾳ* tales narrationes rettulisse videtur, quales huic fabularum explicationi prae ceteris respondeant[1]). Eiusdem igitur farinae hoc opus fuisse consentaneum est, cuius libri de incredibilibus inscripti.

Tenemus igitur scriptoris illius imaginem sat plenam et

[1]) cf. M. Schmidtii fragmenta Didymi Chalcent. Lips. 1854, p. 357.

rotundam: oriundus ex Asia minore aut longius certe ibi moratus scripsit Troica, amplum opus — liber IX laudatur — quo patriae imprimis et fabulas et alias res illustraret. Fabulas narrasse videtur etiam in alio opere, quod *μυθικά* inscriptum erat. Interpretationes fabularum quinque libris composuit, quorum adhuc tenemus epitomam; alias eiusdem generis, fortasse etiam reconditas fabularum formas in *ἱστορίᾳ ἰδίᾳ*. In Aegyptum certe postquam se contulit Aegyptiorum religiones tractandas sibi sumpsit. Nec defuit poetis, qui in fabulis plerumque versati erant reconditioribus: hypotheses scripsit in Simonidem.

Age iam respice sodes ad vitam Suidanam Palaephati Parii vel Prienensis, et ipsius probabiliter Asiatici, cuius opera omnino nulla proferuntur, cum quae ei a quibusdam tribui dicuntur, Aegyptii esse iam compertum sit.[1]) Hic nonne mera umbra est Aegyptii? Sed, obvertat quispiam, ad tempus refertur multo antiquius, aut ad medium quintum a. Chr. n. saeculum aut ad quarti initium. At quid moverit grammaticos non ignoramus: erant inter eos, qui elocutionis in libris *περὶ ἀπίστων* specie decepti logographum illum fuisse sibi fingerent et, ne *ὑποθέσεις* illae et fortasse compluria quae nota habebant opera grammatica parente destituta essent, qui unus exstitit Parius vel Prienensis idemque Aegyptius, eum in duos dissecarent Palaephatos. Hoc minus veri simile nemo iudicabit, qui secum reputaverit, quam proni semper Graeci fuerint, quaecunque in vitis clarorum hominum parum inter se concinere videbantur, non qualicunque ratione conciliare sed ita removere ut ad diversos eiusdem nominis homines referrent; exempla afferre vix necesse. Conferas tamen duos Pittacos (Laert. Diog. I 79), duos Pherecydas Syrios (ib. I 10, 119), duos Periandros (ib. I 7, 98 sq.), qui vel Heraclidem Ponticum testem habent, denique apud ipsum Suidam duas Sapphones. Troica num eadem de causa grammatici illi Palaephato tribuerint, nos non possumus diiudicare.

Prudentiores certe grammatici utrumque scriptum ad grammaticum Aegyptium, cuius erant, rettulerunt. Contra non de-

---

[1]) quae in extrema vita exstant verba *πλὴν καὶ οὗτος ἔγραψε* recte Gutschmidius ita intellexisse videtur, ut mente suppleat *ἄπιστα*. Nescio an hoc ad *ἱστορίαν ἰδίαν* Aegyptii P. spectet, quam fuerint, qui ut incredibilia et Troica Pario darent.

fuerunt, qui adeo desiperent, ut et περὶ ἀπίστων libros et Troica Atheniensi, prisco illi vati, qui non nisi in fabulis exstitit, tribuerent. Quod ne nimis mireris, memor sis ineptissimae illius theogoniae Euhemeri ratione explicatae, quam Diodorum in libri V capp. 66—77 exscripsisse Bethius nuper luculenter demonstravit (in Hermae vol. XXIV p. 402—410). Huic nomen Epimenidis, auguris illius ac vatis Cretensis inscriptum fuit!

Nec tamen omnes iam quae latent in Suidae vitis difficultates sustulimus: restat Palaephatus Abydenus, historicus, qui Cypriaca Deliaca Attica Arabica scripsisse et Aristotelis amasius fuisse perhibetur. Habemus igitur Aristotelis discipulum — tantum veri in hac memoria inesse credas —, Peripateticus autem audit Palaephatus incredibilium scriptor apud Theonem et Tzetzam. Duosne igitur statuamus Peripateticos quibus idem nomen fuerit tam mirum ac rarum?

Atque Gutschmidius quidem (in Flachii Hesychio Milesio, addenda et corrigenda p. LXX) illius opera fabulas Romanenses esse coniectavit, id quod poterat coniectare quoniam quae in fine vitae exstat de eius cum Aristotele consuetudine memoriam ad Palaephatum Parium pertinere sibi persuaserat. Movit autem eum non tam, credo, quod exstant talium fabularum tituli illis simillimi, velut Aethiopica Heliodori, Babyloniaca et Cypriaca Xenophontis Ephesii, Philippi Amphipolitae Rhodiaca, Coaca, Thasiaca, Cadmi Milesii ἱστορίαι Ἀττικαί, sed quod mirum sane esset, si, qui Atticae Deli Cypri res descripsisset, idem egisset de Arabia terra remotissima Graecisque vix diligentius nota. Tamen Gutschmidii coniecturam incertam esse concedo; tolerari vero omnino non potest quod Wipprechtius molitur, ut illam de Aristotele in Palaephatum amore notitiam, quam ad Parium spectare non posse demonstravit, posse quadrare ad fabularum Romanensium scriptorem nobis persuadeat (p. 62 sq.). Fingit enim illum scriptorem et Palaephati nomen mentitum esse sicut Xenophontes eroticos scriptores Atticae apis nomen praetendisse credunt, et ut auctoritatem suam etiam magis augeret se Aristotelis amasium esse prae se tulisse.

At ut hoc verisimile sit sicut non est — nam exempla quae Wipprechtius p. 62 n. 2 adduxit talem fraudem non pro-

bant —: quis umquam sibi persuadebit, et Theodorum Iliensem et Herennium Philonem Byblium[1]), Hadrianeae aetatis doctissimum grammaticum, qui in libris adeo habitaverit, ut *περὶ κτήσεως καὶ ἐκλογῆς βιβλίων* scriberet, qui vastum condiderit opus *περὶ πόλεων καὶ οὓς ἑκάστη αὐτῶν ἐνδόξους ἔφερεν*, tam manifestum mendacium tamque ineptum non detexisse sed recepisse et propagasse?

Sed erunt fortasse qui inde orsi quod et apud Diogenem Laertium (V 3) et in vita Aristotelis (ed. Did. p. 12, 37) non nisi Hermias Atarneus talis cum philosopho consuetudinis incusatur, Suidae illa verba ex Hermiae vita huc translata esse suspicentur errore in hoc scriptore haud insolito.

Hos relego ad Athenaei locum hunc: *Σωκράτης δὲ ὁ φιλόσοφος ὁ πάντων καταφρονῶν τοῦ Ἀλκιβιάδου κάλλους οὐχ ἥττων ἐστίν; ὡς καὶ ὁ σεμνότατος Ἀριστοτέλης τοῦ Φασηλίτου μαθητοῦ* i. e. Theodectis (XIII 566d). Patet igitur in vitis illis haud omnia congesta esse eiusmodi convicia, quae adversariorum in philosophia invidia in Aristotelem coniecit.

Sed rectam viam iam dudum praemunivit Carolus Muellerus (F. H. G. III 573 10). Hic, cum Philonei illius operis argumentum in sugillandis Graecorum fabulis positum fuerit, totum hoc Philonis et Theodori testimonium a Suida falso Abydeno Palaephato tributum esse coniecit, cum ad Atheniensem referendum sit, qui de rebus mythicis earumque interpretatione varia scripserit itemque Troicorum auctor fuerit. Hoc unice verum esse, si tu non Atheniensem hunc Palaephatum, sed Aegyptium vocabis vel Parium vel Prienensem, sunt quaedam res quibus etiam magis possit probari. Hac enim coniectura accepta statim evanescit difficultas illa a qua profecti sumus: iam unum habemus in Peripato Palaephatum. Jam vero Philo in Phoenicia historia, quam e Sanchuniathonis prisci Phoenicis opere se transtulisse simulat, Euhemeri rationem in fabulis explicandis secutus

[1]) hunc qui se *παράδοξον ἱστορίαν* trium librorum conscripsisse ipse testatur et cuius de illustribus viris opus ab Hesychio Milesio expilatum esse inter omnes constat, intelligendum esse, non quem Westermannus (in paradoxographis p. XXXV) intellexit Philonem Heracleotam qui aevo Alexandrino scripsit *περὶ θαυμασίων* C. Muellerus animadvertit ad Philonis fr. 10 (F. H. G. III 573). Hunc locum ignorare videtur Susemihlius (1 l. I p. 477 [90]) qui Westermannum sequitur.

est. Quid igitur mirum quod de Palaephato accuratiora quaedum comperta habet, quae ex Theodori Iliensis Troicis sumpserit? Et hoc ipsum, quod Theodorus in Troicis Palaephati mentionem fecit, nonne eo nos ducit, ut Aegyptium Troicorum et ipsum conditorem eum intellexisse colligamus? Accedit quod etiam ipse locus verborum παιδικὰ δὲ Ἀριστοτέλους — ἐν β' Τρωικῶν suspicionem movet, ne a vita Palaephati Abydeni aliena sint. Nam cum in vitis is ordo fere semper observetur, qui etiam ratione unus commendatur, ut postquam patria scriptoris nominata est, eius aetas commemoretur, tum demum scripta afferantur, hic ordo inversus est ita, ut operibus iam enumeratis in fine demum de aetate eius agatur.

Juvat paucis complecti, quae adhuc nobis profecisse videamur: praeter Palaephatum vatem Atheniensem qui nisi in fabulis non fuit et Abydenum, quem fabulas Romanenses condidisse veri simile est, fuit Palaephatus quidam Paro vel Priene oriundus, qui in Aegypto longius commoratus Aegyptius vocatus est, Peripateticus, et secundum Philonem auctorem haud spernendum ipsius Aristotelis amasius i. e. discipulus.

Sic Festae redintegramus coniecturam, sed, ni vehementer fallimur, certioribus fisi argumentis. Certe quominus aetati Aristotelis paullo recentiori tribuamus scriptorem operis περὶ ἀπίστων ea non obstant, quae ex epitomae et rebus et verbis enucleavimus. Restat ut quod posuimus si litterarum illis temporibus condicionem naturamque spectamus, non concidere comprobemus.

IV.

De Palaephato Aristotelis discipulo.

Palaephatum Peripateticorum sectam secutum esse et testes habemus idoneos et ipsa clamat operis περὶ ἀπίστων indoles. Namque verissime nuper Ziehenus in commentatiuncula illa, quam saepius iam laudavi, exposuit Peripateticos pragmaticam quam vocant fabularum interpretationem eodem fere studio amplexos esse, quo Stoicos allegoricam et ad illam propagandam haud minus contulisse quam Euhemeri famosissimum opus.[1] Ipse enim magister praeivit, qui, cum fabulas quae ad theogoniam deosque spectant priscae aetatis seu poetas seu sapientes, ut praecepta quaedam ederent de rerum natura aut de moribus humanis excogitavisse existimet, heroum res ad historiae similitudinem adducere studet.

[1]) Hoc fugit Lobeckium, qui historiam pragmaticae fabularum explicationis ab Hecataeo orsus scite adumbravit (Aglaophamus p. 987 sqq.), nec viderunt Petersenus, qui Lobeckii copiis pauca addidit (*Ersch u. Grubers Encyclopaedie* vol. LXXXII p. 3 sqq.) aut Festa (l. l. p. 52 sqq.), qui, cum doctam illius disputationem ignoraret, haud pauca omisit. Ipse monuerim, in Herodoto hanc fabularum interpretationem latius patere, quam vulgo creditur, quamquam plerasque talium historiolarum ab aliis mutuatus esse videtur, velut Helenae fabulam (II 112—120) ab Hecataeo (cf. Dielesium in Hermae vol. XXII 441 sq.), fabulam Cyri a pastoris muliere Cyno, non a cane nutriti (I 122), ab illo auctore — Graeco quodam scriptore, si Schwartzio credis (Index lect. Rostochiae aest. 1891 hab.) — cui rerum Persicarum notitiam magnam partem debet. Conferas etiam fabulae quae erat de Solis mensa, explicationem (III 18), quam Aethiopas ipsos Cambysis exploratoribus indicasse vix tu Herodoto credes. Etiam Thucydidi, quem fabulas et superstitiones sprevisse inter omnes constat, hanc fabulas tractandi rationem arrisisse inde concludas, quod I 9 logographi cuiusdam, Hellanici, ut visum est Koehlero (Comment. Mommsen. p 375), narrationem suum in usum vertit, qua Pelopis et Pelopidarum fabula ad historiae similitudinem redacta est.

Velut in problematum c. XXX (p. 953 a 10) quod vere Aristoteleam doctrinam continere Wilamowitzius asseverat (*Herakles* I p. 330 sq.), Herculem Aiacem Bellerophontem ideo tam pronos fuisse et ad summam virtutem et ad summam insaniam docet, quod *μελαγχολικοί* fuerint, id quod proprium sit omnium, quicunque sive in republica sive in litteris praecellant, velut Lysandri, Empedoclis, Socratis, Platonis. Indidem etiam miram Herculis mortem repetit. In rei publicae autem l. III, 13 p. 1284 a 22 civitates *δημοκρατουμένας* optimum quemque a re publica removere exemplo affirmat e fabulis petito: Argonautas Herculem reliquisse, ne ille ut multo melior sibi imperaret.

Et sicut Aristoteles quae de humana natura philosophando atque observando rimatus est, ea ad fabulas transfert, ita in physiognomonicis Dicaearchi aliorumque studiis certum locum habuisse patet heroum et corporis et faciei diligentes descriptiones. Statim Dicaearchus sic Herculis figuram describit: *σχιζίαν, νευρώδη, μέλανα, γρυπόν, ὑποχάροπον, τετανότριχα* (Euseb. Protr. II § 30, F. H. G. II p. 238, 10) et quanto studio hae ineptiae in Peripato tractatae sint inde apparet quod exstat eodem Eusebii loco Herculis descriptio ab Hieronymo, qui post dimidium tertium a. Chr. n. saeculum floruit, confecta, quae ab illa quibusdam in rebus differt; dicit enim illum *μακρόν, φριξότριχα, ῥωστικόν*. Ceterum memorabile sane, quinam postea scriptores haec studia suum in usum verterint: sunt omnium nequissimi, Philostratus sophista qui in heroico eisdem fere coloribus depingit heroes qui ante Troiam pugnaverint, velut Sthenelum (p. 170_{29} Kays.) *εὐμήκη καὶ ἀνεστηκότα γλαυκόν τε καὶ γρυπὸν καὶ οἷον κομῶντα ὑπέρυθρόν τε καὶ ἕτοιμον τὸ αἷμα* (ib. Diomedem, p. 141_{25} Protesilaum, p. 183_{7} Palamedem); post Philostratum ille qui Daretis Phrygii nomen mentitus est, qui c. XII et XIII eiusmodi descriptionibus explevit, et is quem Malalas exprimit imprimis p. 103—106 ed. Bonn.[1])

[1]) Wagenerus cum ignoraret hoc Dicaearchi frustulum tale quid in litteris Graecis ante Philostratum non exstitisse confirmat (Philol. XXXVIII p. 105). Illud si compertum habuisset etiam quod ponit p. 111: has descriptiones ad imaginum arte factarum exemplar factas esse vix credidisset: ad Peripateticorum certe studia physiognomonica redeunt, quorum exemplar praebet Pseudo-Aristotelis liber *Φυσιογνωμονικῶν*. Fugisse videntur Di-

Clearchi Solensis, et ipsius Aristotelis discipuli, tres fabularum explicationes Palaephateis consimiles iam Ziehenus attulit (F. H. G. II p. 316, fr. 41, 49, 60), quibus accedit longior narratio a Festa monstrata, qua Omphalae et Midae fabulas interpretatur (fr. 6, Athen. XII 515 e).

Ipse porro Theophrastus potest adduci, qui teste scholiasta ad Apoll. Rh. Arg. II 1248 *Προμηθέα* dixit *σοφὸν γενόμενον μεταδοῦναι πρῶτον τοῖς ἀνθρώποις φιλοσοφίας ὅθεν καὶ διαδοθῆναι τὸν μῦθον ὡς ἄρα πυρὸς μεταδοίη.*

Etiam clarius autem Peripateticum fuisse Palaephatum inde elucet, quod eis tinctus est doctrinis, quas in deliciis habuit Peripatos.

Velut eius naturalis historiae scientiam prodit et longiuscula de animalium mixtura et generatione disputatio (f. II) et de bobus Scythicis notitia (f. XXVI).

Jam vero humani victus et cultus incunabula mente fingere, incrementa indagare, suo quamque inventionem auctori vindicare non primi sane conati sunt Peripatetici, id quod minus scite contendit Ziehenus (p. 439), Ephorum enim qui *περὶ εὑρημάτων* proprium opus vulgavit, ab Aristotele ad hoc studium adductum esse vix tu credideris, sed quanto studio atque ardore in hoc genere elaboraverint, Theophrasti *περὶ εὐσεβείας* et Dicaearchi grande opus quod erat de vita Graeciae satis nos edocet.

Jam vide quam multae fabularum explicationes apud Palaephatum a prisci victus proprietate repetantur vel ab inventionibus.

Velut veri simile ut fiat Lernam vicum proprium quondam regem habuisse, ad antiquiorem civitatium Graecarum condicionem, cuius iam apud Thucydidem mentio fit (I 10 Sparta *κατὰ κώμας τῷ παλαιῷ τῆς Ἑλλάδος τρόπῳ οἰκισθεῖσα*) recurrit, cum in f. XXXIX dicit: (p. 301_8) *ᾤκουν δὲ πάντες ἄνθρωποι ⟨κατὰ⟩ κώμας καὶ τοῦτο τὸ χωρίον νῦν Ἀργεῖοι ἔχουσιν· ἦσαν δὲ πόλεις τότε Ἄργος Μυκήνη Τίρυνς Λέρνη καὶ βασιλεὺς ἐφ' ἑκάστῳ ἐτέτακτο τῶν χωρίων τούτων* (sic recte codd. ampliores a Westerm. spreti). Tunc temporis homines nec servis usos

caearchi et Hieronymi loci etiam R. Foersterum, qui nuperrime scriptores physiognomonicos Graecos et Latinos edidit (apud Teubnerum 1893). In sylloge quidem locorum physiognomonicorum, quam alteri volumini inseruit (p. 237 sqq.), non exstant.

esse neque argento saepius narrat, velut f. III et IV, XXIV, XXXVIII, XLII; equis illos vehi nescisse ponit f. I, ubi Centauros ut huius artis inventores interpretatur. Lynceus (f. X) metalla invenit, Daedalus (f. XXII) primus statuas finxit altero pede progredientes, Orpheus instituit Liberi *ὄργια* (f. XXXIV), Pandora fucum invenit (f. XXXV), Medea colorem, quo cani capilli nigri redderentur et vaporationem (f. XLIV).

Feliciter vero accidit quod nuper Wendlingius demonstravit[1]), Stratonem, discipulum illum Theophrasti, qui Plinio teste (in indice ad l. VII natur. hist.) contra Ephori heuremata scripsit, ea maxime re ab eo discrepavisse, quod ille mythologiam sprevisset et inventa hominibus vel nationibus quam heroibus assignare maluisset, cum ipse Theophrastum magistrum secutus inventores e fabulis saepissime petivisset.

Et adhuc exstant exempla in catalogis inventorum, quos Philostephano Callimacheo, ut videtur, suppeditante e Peripateticorum imprimis scriniis sumpserunt Plinius (nat. hist. VII § 191—209), Clemens Alexandrinus (stromat. lib. I c. XVI[2])), alii. Neque quantum video dubium est, quin ipse Aristoteles praeiverit, quandoquidem Wendlingius peplum Aristotelis, qui etiam inventionum catalogum continuerit, Theophrastum iam nosse et, uti solebat tractare quae a magistro non plane absoluta esse videbat, hic illic impugnasse et correxisse probavit (p. 1—15).

Exempla Aristoteleae hoc in genere doctrinae attulisse satis erit haec: Achilles saltationem quae *πυῤῥίχη* audit invenit in funere Patrocli, nomen autem inde traxit, quod *παρὰ τὴν πυρὰν* fiebat (schol. Pind. Pyth. II 127 cf. Wendl. p. 68); litteras

---

[1]) *De peplo Aristotelico quaestiones selectae,* diss. inaug. Argorat. 1891 p. 69.

[2]) hic quae exstant § 76 verba *Μήδειά τε ἡ Αἰήτου ἡ Κολχὶς πρώτη βαφὴν τριχῶν ἐπενόησεν* Kremmerus (*de catalogis heurem.* diss. inaug. Lips. 1890 p. 35) recte comparavit cum Palaephati f. XLIV neque equidem dubito, quin ex ipso Palaephato sumpta sint, velut ex Euhemero quod Plin. § 197 et Hyginus (CCLXXIV) tradunt de Aeaco Jovis filio, qui in Panchaea insula auri metalla et flaturam invenerit. Ceterum ad aetatem Palaephati certius definiendam inde nihil redundat, quoniam Clemens e compendio hausit quod non antiquius fuisse extremo p. Chr. n. saeculo probabiliter ponit Kremmerus (p. 23). Huc quae praeter Philostephani opes corrasa sint exputari nequit.

Graecos docuit Cadmus Phoenix (Plin. § 192; Wendl. p. 10), turres Cyclopes primi exaedificaverunt (Plin. § 195), aeris flaturam et temperaturam Hesiodo auctore Lynceus Scytha invenit (ib. § 197, Wendl. p. 4).

Accedit vero ad hanc inter studia Palaephati et Peripateticorum similitudinem res quae ad eius vitam pertinet. Perbene enim quadrat ad Peripateticum quod ille in Aegypto moratus esse traditur. Namque Wilamowitzius demonstravit (*Antigonus von Karystos* p. 197) postquam Demetrius Phalereus Theophrasti discipulus a. 306 Athenis pulsus ad Ptolemaeum confugit, semper Ptolemaeorum partibus favisse Peripateticos quique Alexandriae docuerint viri docti, hos fere omnes hanc sectam secutos esse constare. Quod denique Aegyptiorum theologiam scripsit, fecit quod ab aetate Ptolemaei Lagi filii minime abhorreat: ipsis illis temporibus Hecataeus Abderites hanc amplo opere illustravit.

His omnibus rebus Theonis et Tzetzae testimonium mirum quantum sustineri neminem spero infitiaturum esse. Sed erunt fortasse, qui cum concedant Peripateticum fuisse Palaephatum, unum ex ipsius Aristotelis discipulis fuisse Philoni Byblio ut credant a se non impetrent. Et primo quidem obtutu hoc mirum videri ac vix tolerabile non nego. Tam insulsum hominem docuerit Aristoteles?

Sed caveamus necesse est ne illum omnino fatuum esse scriptorem statuamus, cum paulo accuratius non nisi unum norimus eius opus, inficetum sane et ineptum, sed cuius doctrina Aristotelis discipulis illo certe multo clarioribus accepta fuerit et probata. Accedit quod, ut consentaneum est, non defuisse inter Aristotelis discipulos homines tali magistro indignos satis constat. Perlustra modo Clearchi Solensis fragmenta, velut quae Athenaeus ex eius eroticis servavit (XV p. 669f et XII 555e, Muelleri F. H. G. II p. 315, 38, 39), ubi cur ei quibus in convivio corona dilabatur, amare dicantur et cur amantes amasio vel flores vel fructus porrigere soleant causas indagat ita ut quam modo posuit, eam statim ipse reprobet, aliam addat et semper aliam[1]). Vides huius philosophi doctrinam ad vilissimas ineptias

[1]) conferas quae Rohdeus (*Griech. Roman.* p. 57 sq.) de his ineptiis egregie disputat.

et merum ludum descendisse et probabis Zelleri de eo iudicium: *im Ganzen macht Klearch durchaus mehr den Eindruck eines mit mancherlei Wissen ausgerüsteten, aber ziemlich oberflächlichen Litteraten, als den eines gründlichen Gelehrten und Philosophen* [1]).

Sed fortasse quis offenderit in operibus quae a Suida Palaephato tribuuntur; nonne mirum, inquiet, si Aristotelis, philosophi eius qui omnes disciplinas si quisquam complexus est, discipulus non nisi fabulas tractavisset? Et addet fortasse, ut pondus det huic argumento: omnino ille grammaticus audit apud Suidam et certe ὑποθέσεις illae ad Simonidem grammaticum sapiunt Aristophanis Byzantii, qui tragicos talibus argumentis instruxit, aequalem aut eo minorem.

At neque plenum esse operum Palaephati indicem Suidanum verisimile est, et recte iam Festa monuit (p. 50 sq.), discipulos Aristotelis, et etiam magis Theophrasti suum quemque sibi campum delegisse, in quo potissimum elaborarent. Vide Clearchum: e quindecim illis operibus, quae Muellerus (F. H. G. II p. 302) enumerat, septem pertinent ad hominum mores ac naturam, nec inde longe abest argumentum librorum περὶ παροιμιῶν; quibus similes sunt libri περὶ γρίφων; ad naturalem historiam spectant tria scripta (περὶ σκελετῶν, περὶ ἐνύδρων, περὶ θινῶν, fortasse etiam περὶ τῶν ἐν τῇ Πλάτωνος πολιτείᾳ μαθηματικῶς εἰρημένων, fr. 44 quidem est de avibus quibusdam). Ἀρκεσιλᾶς (fr. 44 a) quid continuerit non liquet. Platonis encomium huc non facit.

Sic Palaephatus quam Aristoteles ut πάρεργον in peplo strinxerat historiam fabularem, hanc diligenter et colligendo et explicando pertractavit. Peplus enim ille praeter inventorum indicem continuit ludorum catalogum (cf. Wendlingium p. 13 sqq.) deorum amores (ib. p. 33), genealogias eorum qui ante Troiam pugnaverant (ib. p. 35 sqq.), quod argumentum quinto saeculo proprio opere tractatum erat, quod alii Damastae Sigeo, alii Polo Agrigentino sophistae addixerunt (cf. Suidam s. v. Δαμάστης et s. v. Πῶλος).

Quod autem grammaticus vocatur Palaephatus, hoc neminem offendet, qui secum reputaverit, grammaticam artem natam esse

---

[1]) *Die Philosophie der Griechen* II, 2 ed. III. p. 894.

in ipso Peripato, primum grammaticum dictum esse Praxiphanem, Theophrasti discipulum, quem iam circa annum a. Chr. n. 290 Aratus et Callimachus Athenis audiverunt[1]). Grammaticum appellat Eustathius (ad Ψ 94 p. 1290, 26 R.) etiam Chamaeleontem, et ipsum, ut videtur, Theophrasti discipulum, qui tamen praeter opera permulta ad litterarum historiam pertinentia etiam philosopha quaedam reliquit[2]).

Ὑποθέσεων vero scriptio non Alexandriae nata est sed multo prius Athenis. Hic iam Heraclides Ponticus, Platonis discipulus, Antiphane comico teste *κεφάλαια Εὐριπίδου* scripsit; idem opus Diogenes Laertius (V 88) affert: *περὶ τῶν παρ' Εὐριπίδῃ καὶ Σοφοκλεῖ α'β'γ'*. Quod breves fabularum narrationes exhibuisse Schneidewinus[3]) recte inde conclusit, quod in argumentis tragoediis praemissis eadem voce significatur brevissima argumenti fabulae descriptio. Quid quod ipse Dicaearchus *ὑποθέσεις τινὰς τῶν Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους μύθων* conscripsit, quibus eum exposuisse, qua ratione poetae fabulas traditas secundum tragoediae leges vel ipsorum iudicium conformaverint et immutaverint, Hermannus Schraderus luculenter ostendit[4]). Eiusmodi opus fuerint etiam Palaephati *ὑποθέσεις εἰς Σιμωνίδην*. Neque enim tu, qualis est auctor Suidas, premes quod qui ab eo traditus est titulus ad argumenta potius carminibus praemissa, qualia Aristophanes Byzantius ad tragicos poetas confecit, spectare videtur quam ad talem scripturam, qualis fuit Dicaearchi.

Lyricos autem poetas non minus quam Homerum et tragicos illis temporibus studia virorum doctorum, in primis Peripateticorum in se vertisse, testes sunt Heraclides Ponticus, qui de Archilocho, Dicaearchus qui de Alcaeo, Chamaeleon qui de plerisque lyricis, in his etiam de Simonide propria scripta ediderunt[5]).

Sed restat offensio illis quas mihi removisse videor haud

---

[1]) cf. Susemihlium: *Geschichte d. gr. Litt.* I p. 145.
[2]) cf. Zellerum l. l. II 2 ed. III p. 900.
[3]) *Abhandlungen der hist.-phil. Klasse d. k. Gesellschaft d. Wissensch. zu Goettingen* VI p. 13.
[4]) *Quaestionum peripateticarum particula*, Hamburg 1884.
[5]) cf. Koepkei libellum de Chamaeleonte Heracl. Berol. 1856 p. 10—15.

levior. Palaephatum enim in libris *περὶ ἀπίστων* orationem *λογογράφων* qui Graece vocantur, simulasse constat. Hoc illa aetate factum esse num credibile est, factum ab Aristotelis discipulo? Credo. Vide sis Laertii Diogenis locum ad Heraclidem Ponticum spectantem, qui dignus est quem paene integrum transscribam: (V 92) *φησὶ δὲ Ἀριστόξενος ὁ μουσικὸς καὶ τραγῳδίας αὐτὸν ποιεῖν καὶ Θέσπιδος αὐτὰς ἐπιγράφειν . . . . . ἔτι καὶ Διονύσιος ὁ μεταθέμενος ἢ Σπίνθαρος, ὥς ἔνιοι, γράψας τὸν Παρθενοπαῖον ἐπέγραψε Σοφοκλέους· ὁ δὲ πιστεύσας εἴς τι τῶν ἰδίων συγγραμμάτων ἐχρῆτο μαρτυρίοις ὡς Σοφοκλέους . . . . αἰσθόμενος δὲ ὁ Διονύσιος ἐμήνυσεν αὐτῷ τὸ γεγονός· τοῦ δ᾽ ἀρνουμένου καὶ ἀπιστοῦντος ἐπέστειλεν ἰδεῖν τὴν παραστιχίδα* e. q. s.

Ut igitur Aristoxene teste ipse Heraclides philosophus Thespidis prisci illius tragici nomen mentitus est, ita Dionysius sive Spintharus, Heracleota et ipse, Sophoclis, ut illuderent Heraclidem, et inde quod re vera ille operi ficto credidit, scite eos Sophocleis coloribus sua tinxisse apparet.

Dixerit quispiam has fraudes ortas esse e simultatibus doctorum quorundam hominum inter se illudentium nec plus facere ad Palaephati causam quam *Τρικάρανον*, quem Anaximenem Theopompo, aut opusculum obscoenum *περὶ ἀφροδισίων*, quod Polycratem sophistam Philaenidi supposuisse tradunt (cf. F. H. G. I p. LXXIV — Athen. VIII 335 c) eo sane consilio, ut famae illorum obtrectarent. Sed fuerunt iam ante Aristotelem qui fetus suos plus auctoritatis adepturos esse crederent si scriptorem venerandae antiquitatis mentirentur. Jam Aristoxeno enim et Philochoro nota erant scripta quaedam Pseudepicharmea, illi *Πολιτεία*, quam Chrysogonum tibicinem, Alcibiadis aequalem (cf. Plut. Alc. 32) confecisse dicit, huic *Κανών* et *Γνῶμαι*, quae Axiopisti vel Locri vel Sicyonii aliunde non noti esse existimat. Et *Πολιτείαν* non potuisse scribi ante Anaxagoram, lectam autem esse iam ab Euripide Wilamowitzius nuper probavit (*Herakles* I p. 29[54]). Ceterum tunc temporis haud insolitam fuisse talem fraudem ideoque prudentiores scriptis tam venerando nomine exornatis diffidere coepisse, elucet ex ipsa falsariorum cautione, de qua est Diogenes Laertius (VIII 78): Epicharmus *παραστιχίδια ἐν τοῖς πλείστοις τῶν*

Verlag von **Richard Heinrich** in **Berlin.**

De Thracia Provincia Romana

scripsit

D. Kalopathakes.

Preis 2 Mark.

Die Amazonensage.

Kritisch untersucht und gedeutet

von

Dr. H. L. Krause.

Preis 1 Mark 50 Pf.

Studia Theognidea

scripsit

Joh. Lucas.

Preis 2 Mark.

De Comoediae Atticae Primordiis
Particulae Duae

scripsit

Jos. Poppelreuter.

Preis 1 Mark 20 Pf.

De Georgicis A Vergilio Retractatis

scripsit

N. Pulvermacher.

Preis 2 Mark.

Quaestiones Varronianae

scripsit

E. Samter.

Preis 2 Mark.

Druck von [illegible] & [illegible], Leipzig.